Oblectatio Vitæ Rusticæ
Ægidij Vander Mile



Jadrek Ciedowicz gr. 18
Eremitarum Montis Argentini

Nobilissimo, Generoso & Strenuo,
VIRO
DN. GEORGIO A ZIZEVITZ,
Illustrissimorum, &c. Pomeraniæ Principum, &c. Consiliario, & Districtus Stolpensis Præfecto, &c.
Hereditario in VVarzin, Turzken & Bornen, &c.
EGIDIUS von der Myle.
Salutem & felicitatem.

PRudentissimos Quosq; & sublimes Viros tranquilla

 Sem-

ſemper animiquè libertatem circumſpexiſſe, ex Rerũ Annalibus Vir Nobiliſſime habes. Traxiſſe eò plurimorum caſus liquidum eſt, quos ambitioſa vota everterant. Rus itaq; elegere, ubi virtuti viverent. Tenuit otium, innocentia, oblectatio; deniq; patrimonij hoc augendi genus ingenuum & liberale. Vltro huc propenden-

tem eadem impulere, quamprimum blandior ſenſus & laborioſi ævi mores adoleſcentiam moverunt; Magis etiam, cum omnes pene Autores, quorum ſcripta in precio ſunt, in hoc vitæ genus conſenſiſſe animadverterem. Sic largius paulatim ſe effundebat affectus. Tum & pulcherrima Regiomontani tractus forma (in qua

tunc Boruſſiæ urbe ſtudiorum cauſſa commorabar) ingenium exſtimulabat, & propinqui Ruris amœniſſimus ſeceſſus mirâ tranquillitate ad hujus vitæſtudia invitabat ; Cujus victus ſuavitate Juvenili , tum luſu Ruris dulcedinem delineabam. At diu jacuit labor ludicris ætatis vagus. Mox dignitatem Ruris ſpeculatus, hone-

ſtiora ſolatia deprehendi, & exactius paulo in idem argumentum incubui; Quo domi tempora fallerem. Probavere ſtudium qui familiarium in id forte inciderant; Noviſſimè & Eminentes Viri editionem ſuadere. Inſtantium favor plus judicio meo apud me valuit; Itaq; ut ceperam, pertexere inſtitui. Retractanti plæraq; diſplicebant.

cebant, maturiore ex intervallo mente inductâ. Relicta tamen plura, ut argumento parcerem, junioribus annis destinato; ne suus ætati labor periret severiore censurâ.

Tibi autem, Vir Nobilissime, inscribere consilium fuit, cui Tractatio non ingratæ materiæ non nihil placere visa; Fœnorisq; Tui, quem nunc vides libellum censebis.

ſebis. Deinde aliter Tuus in me favor non ferebat, cujus propenſione haut perfunctoriè me provectum fatebor; Non ferebant beneficia & conjunctio, quibus Socer Tibi Meus cum ſuis devinctus. Accedit literatiſſimo Nobili deberi laborem, qui nobilia ſtudia evehit. Quis aptius virtutes æſtimet, quam quem priſca virtus ornat

beantq; fundi omni cultu amæni? Ut ab eo expendantur Ruris dotes optimè, cui felicissimè proveniunt. Opusculum simplex est, ne â Titulo recederet oratio. Nam & raris veterum Rusticæ rei scriptorum præceptis lucet; Nisi qua inopiam meam ex illorum opulentiâ juvi. Mixtæ tamen alicubi digressiones quas res offerebat, ne similitu-

militudo offenderet. Dignius merebare munus fateor; Cæterum patere ut idæa interdum aliqua tranquillitatis ſeria temperet, dum incumbentium rerum moles negat ocia virtutibus ad ingentia factis, & ſcriptionem ea fronte ſuſcipe, qua rudiorem olim dignabare. Ita fugientem Ruris gloriam patrocinio revocabis, & ex ejus dignitate

tenu-

tenui quoq; ſcripto aliquantum exiſtimationis accedet. Vale. Colbergæ Kalendis Martijs CIↃ IↃC XXXIII.

Nobili

Nobili, Doctissimo, & Consultissimo Virio

DN. EGIDIO van der Wyle,

Ruris & vitæ innocentis Vindici.

Quicquid avita domus Tua, quicquid nobile stemma
Perdidit, & rapidis sors tulit atra rotis,
Præsenti reparas passim congesta libello;
Hos fructus Domino scripta dedere sua.
Ruris opes varias, pecudes, hic pascua, saltus,
Hicque tenes fontes lene fluentis aquæ;
Hic pisces, volucres captas, hic lustra ferarum.
Et placet obscuro vita beata loco.
Dilabuntur opes; Sed quos sors abstulit agros
Musa refert, sortis non subitura vices.

VVoitzlaus Schuldten,
Cam. Colb Genero
suo scribebat.

Et

ET medios inter Sibinos, infestaq; Martis
Arma, suum rastris & adunco dignus aratro
Per Te surgit honos MYLI, dum vindice parvo,
Sed quem vel Latium stupeat, Fortuna prioris
Ævi & Deliciæ Ruris stant culta libello.
Quam fœlix exosa Urbes, & magna Potentum
Limina quæ faunos inter Nymphasq; sorores,
Vita carens vitijs, securo ducitur ævo!
Non ebur aut fasces illum, non cura trabalis
Sceptri sollicitat, qui se Cerealibus arvis
Credidit ambiguæ fugiens ludibria sortis:
Non levis ambitio, non perlita gloria fuco
Magnarumq; fames rerum; Non mentis avara
Inflammat furor & nummi scelerata cupido.
Sed nec livor edax, atro proscindere morsu
Criminis expertem novit; procul exulat omne
Diffidium, aut si quis strepitus circumsonat illum
Vix pavet, & fracto non horret conscius orbe.
Quippe operum patiens & parvo vivere suetus
In Patrijs desudat agris, & vomere terras
Aut rastris occaq; movet; vel retia Cervis
Et pavido tendit lepori; Mox lustra ferarum
Invia scrutatus, jaculo canibusq; frementes

In sectatur apros, Hic dulces fallere turdos
Perdicumq́; greges; illic concludere naßâ
Pisces & tremulo satientem ducere multum
Fune placet; Quæruntur aves: fragrantia stillant
Mella cado: riguis labuntur fontibus amnes;
Intonsæ mersantur oves, resonare boatu
Umbriferæ gaudent valles: Exultat aristis
Maturata Ceres; pulchris se fœtibus effert
Purpureum redimita caput Pomona, superbo
Undiq; flore nitet tellus, ditissima tellus.
Usq; adeò totis Divûm vestigia campis
Dimanant vegeti largâ pinguedine Succi.
Et tamen hæc demens, qualis fuit Alphius olim
Oderit & quisquis Sarrano splendidus ostro
Sublimes frenat currus, aut divite census
Eois Arabum satagit contendere gazis.
Non me, non feriant fastigia lubrica rerum,
Cui parvum satis est: Habitatum indulsit agellum
Quinq; focis, nemus exiguum, mediocria prata,
Et fontem, & gemini labentia murmura rivi
Sors melior; sit parca licet: Nihil amplius opto
Quam devota Deo, sacris & dedita Musis
Hos inter tranquillus agros, hoc Rure beatus
Tempora sollicititi traducere molliter ævi
At si, quod caveant superi, crudelior ætas
Ingruat, & toti jam funestißimus orbi
Hæc quoq; distribuet campestria gaudia Mavors

Tune formosa velut Nais, quam pallida Fato
Mors raptam celeri, lethæis abstulit undis
Sub tenerâ quoties resplendet imagine, si non
Cor ipsum, ast oculos miseri solatur Amantis;
Sic mihi, sic alijs divin gratia Ruris
Et campi & Sylvæ, & fontes & frigida tempe
Quanquam fatali rerum subjecta ruinæ
Hoc servata tamen florebunt pulchra libello.
Sed Tu, quem Themis & Latij suadela leporis
Iamdudum Aonio vidit clarescere cœtu;
Nunc etiam Satyros inter, Dryadesq; puellas
Quarum sacra colis, magno perculsus amore,
Tergeminos, Vir Clare, Tibi, si Dædala tellus
Si Musæ fuerint, vernare videbis honores.

Compatri & Amico suavissimo L. Me. F.

Baldassar Timæus D.

DElicias Nemorum si Fors si Rura negârit
Si Fontes studij Candida vota Tui,

ACCLAMATIONES.

Nil nocet : Exiguo hoc floret RES RUSTICA
libro:
Hic Pecus, hic Fontes consequeris q; Nemus.
Quicquid Avis perijt, poterunt sperare Minores,
Quæq; suæ, Myli, secla tulere vices.
Spe fruere, oblato dum RES *datur* ALTERA
fundo,
Quam si Fata negant ; sufficit ille liber.

Christianus Schlieff,
Senat.Colb.Comp.
& Affini F.

C*Lara Tibi virtus nunquam moritura re-*
sedit
Egidi sacræ Themidos Doctissime Cultor,
Arte laboratas dum res committere prælo
Non dubius Tibi proponis, vulgareq; in auras.
Summa etenim laus est non condere, promere
fœtus,
Pluribus esse bono, quos longus comprobat usus.
Ergo ut cœpisti genij ingenijq; sagacis.
Prodere fœturam in laudem nunquam mori-
turam,
Pergas, succedent Tibi præmia digna labore.

Laurentius Henning,
Sent Colb. scr.

AMICORUM

EGIDIUS VON DER MIEL

Per Anagram.

Dij mel duro En vigeas

Dona Dij DURO vendunt preciosa labore,
MEL partum multo dulce labore venit
Agricolæ vix quis poterit numerare labores:
Divite sed fructus fœnore reddit ager.
Quos edis, suaves fœcundo pondere fœtus
Insomnes horas quis peperisse neget?
Perge modò plures producere lucis in auras:
Et paries laudem nominis inde tibi.
EN VIGEAS, agriculturam laudibus ornans:
VVOITZLAVS pariter parvulus ille tuus.
Consilijsq. Tuis respublica floreat urbis:
Atq. tui fructus multiplicentur agri.

MATTHIAS KEMPIUS,
Eccles. Garin. P.

Astræum Iuvenem præstantes corpore Nymphæ,
Eupolis & Come, Divæ ad Bregelamidos undam,
Mulcent,

Mulcent, ac satagunt sibi devinci e canendo.
Quæque suas jactat dotes: cava saxa stupescunt,
Et requiesse suos perhibent vaga flumina cursus
Ipse animo dubius, cura ingens occupat artus.
Lux erat, & medias jam Sol penetrârat in arces
Ætheris, ætherio ponens discrimina mundo:
Florida stat tellus gemmantes picta per herbas,
Atque notat variis distincta coloribus arva.
Hinc altâ sub rupe canit frondator ad auras:
Hinc geminas avium vox gratior obstrepit aures
Nunc philomela refert vocum discrimina mille;
Nunc gemere aeriâ procul instat turtur ab Ulmô.
Cacabat hinc perdix; hinc graciat improbus anser:
Corcytat & cuculus; sonitus alit aeris Echo.
Nec mora: tripudiat Come. Sua jura reponit
Eupolis, & mirum præbet virtutis acervum.
Ut memini: Comes ubi Solibus usta Sabina
Margarin ardebat Iuvenis: Sed cætera totus
Addictus Comæ: Come ipsum in retia traxit.
Quisquis es, Autori felicia quæque precare,

Hunc

AMICORUM

Hunc tibi qui juvenem minimum vel pingit ad unguem
Lumen adest, nec flumen abest: sunt suavia vitæ.

Honoris & Amicitiæ causâ lusitabundus scrib.

HENRICUS FRIEDEBORN, Lycei Colb. Rect.

E De novennali librum curâ atq; labore
Perfectum novies qui castigatus ad unguem,
Quem quoties legi, toties mirabar acumen
Ingenij, & dotes varias, queis abdita rerum
Scrutare. O quoties hæc ipsa ego verba locutus
Essem, cum legerem, ni præsens ipse fuisses.
Si liber intererat, certè irreparabile damnũ est.
Aut cum Tu legeres, quoties hæc mente revolvi:
Proh hominumq; Deumq; fidem! bene culta disertus
Iam Pomeranorum spaciatur Varro per arva,
Ductore Egidio à Mylen, atq; instruit omnes
Agricolas, quô sit spargendum sidere semen.
Nec non digreditur, quæ provida cura Iehovæ;
Quæ sint agricolis feriæ: atq; alia id genus. Ede
Ede (inquam) partum, quem cura litura laborq;
Perfectum decies plus castigavit ad unguem.

M. JOACHIMUS PLENO. OBL.

OBLECTATIO VITÆ RUSTICÆ

Egidij van der Myle.

CAPUT I.

Seculi ſtudia: & ſcripti occaſio.

Cum inter tot corrupti ſeculi ſtudia vanitati potiſſimum honos ſit, priſcam temerante ſimplicitatem verſutia; Nunquam rectè ſentientes triſtius faſtidium ex-

ercuisse reor, quam cum virtutis masculæ robur affectatis moribus fatigari sensere. Diu quidem sub specioso habitu impostura latuit, dum virtutis nomine novi gest⁹ fefellere, nec audaciæ, ambitioni & alijs, quæ propius magnanimitatem sunt, vitijs diem quandoq; dictum sciamus. Postea verò quam detestatus fucum candor indignari cepit, tum demum compertum est, quantum crescenti morbo mora obfuerit, quantoq; perniciosiora sint occulta mala, quã quæ manifesta clade grassantur. Tantum enim ferè bona mens mortalium vecordiâ defecerat, quantum delicatorum studijs vitæ insolentia provecta gliscebat.

bat. Ita dum ambitiosè nimis pulcherrimæ rei gloria vindicabatur, verus illius uſus & propemodum memoria amiſſa eſt. Ex eo res ſinuum plena inſignem ſolertiam popoſcit, quæ à veris ficta ab honeſtis prava dirimeret. Tantos ſuperbia errores dedit, dum, Saluſtij judicio, plurimos falſos fieri magisq; vultum, quã ingenium bonum habere ſubegit. Et quamvis multorum animus futiles adeo aſpernetur contentiones, inſolens malarum artium, omniq; ævo modeſtia cum morum concinnitate eminuerit; Tamen plerorumq; judicium ævo corruptum tenetur, ut difficilis ſit, in tanta rerum confuſione cenſura probitatis;

Quam ad recte vivendum plurimum momenti habere ſcimus. Sed nihil ficti diu in occulto eſt, die animi recondita prodente. Innocentiæ verò indicium eſt, ſi qua contemptus & invidia feruntur. Illud enim hoc ævo candoris fatum eſt, ut deſpectui & obtrectationibus invidorum obvius, ſicubi in ambitioſos incidit ludibrio habeatur.

Cæterum ergo juvenis & conſilij inops quamvis à malis moribus diſſentiam, nihilominus eâdem qua cœteri imbecillitate agor, & quæ manifeſto aſſenſu non excipio, inſidiosâ dulcedine incautum circumveniunt. Accedit, quod ipſa etiam conſuetudo turpitudinem paſſim vitiorum ſub-

ſubducit, facileq; licentiam ætas liberior arripit, quam adſtrictior morum protervia oſtendit. Igitur ubi animus his periculis abreptus multa deliberavit, nec tamen hactenus ex ſolicitudine requieſcere potuit, non fuit conſilium communi aſſentiri errori, atq; meliorem ſententiam delinquendi familiaritate contemerare; Sed illis moribus, à quibus me mitius ingenium detinuerat, priſcæ ſemper virtutis conſtantiam præferre & candorem; Qui hoc ipſo magis animum ſubit, quod ruris hoſpes quandam illius imaginem in Ruſticæ vitæ exemplo recolligam, cujus beneficia nunc gratitudinis ſtudio expendam; Eo magis quod

hic mihi animus à ſtrepitu & curis liber ſit, atq; etiam præ reliquis in Ruſticæ vitæ ſolitudine & innocentiâ incredibili acquieſcam affectu.

Quod ad ſcriptionem attinet, non tam delectandi magis, quã infeſta tempora & affectum meum fallendi causâ congeſſi: Simul ut animi mei, cujus omnis bonus rationem habendam putat, conſcientia conſtaret. Sufficit enim mihi in tempore innocentiæ favor, apud moderatores, cum motus ſubſederint, Integritatis teſtimonium habituro.

Cap. II.

CAP. II.

De felici ævo, hinc de succedente Agricultura, hujusq; professionis innocentia.

PRimi mortalium, ſicuti ex ſacrâ Hiſtoriâ accepimus, initio rerum in naſcentis mundi delicijs totius naturæ opes abſolutè diſpenſabant, inq; ſereniſſimi cœli & Horti ſaluberrimi amænitate DEorum planè vitam imitabantur. Sic ætas aurea ſub frondium umbraculis modico tempore agebatur, interq; nemoroſos receſſus rivuli electro puriores locorum permeabant voluptatem. Tellus fœcundiſſima

nullo jubente parebat, omniq;
fructuum cultu ſuperbiebat.
Poſteaquam verò vetitæ dapis li-
bidine in exitium Parentes no-
ſtri inconſulto ruebant ; Non
jam rerum natura obſequi, nec
ſolitæ benignitatis memor hu-
mus fruges fundere aut propria
indole prodeſſe. Adeò creaturæ
vis elanguerat, manus deinceps,
quarum crimine vigor perierat,
in ſubſidium poſcentis. Alia
tum vitæ ratio ſucceſſit, fortu-
naq; ſimul cum moribus immu-
tata indignè mortales habere ce-
pit: Terram multo cum ſudore
excolere, aratro invertere & ra-
ſtro glebas frangere coëgit.
Quippe & fœnus, quod gratis an-
te percipiebant, nunc multo la-

bore

bore redimunt, & proventuum ſpe moleſtias ſolantur mortales. Magno quidem priſtinæ felicitatis cum detrimento; ſiquidem Creatoris indignatio, ſubductâ priſcâ indulgentiâ, fertilitatis partem in colentis curas rejecit. Verum agreſtis vita, ſi ſuccedentem ævi maliciam ſpectemus, optima merito cenſenda, quæ poſt ſinceras Paradiſi voluptates mortalium cœtus exercuerit. Abierat nempe transgreſſæ legis ſeveritas in laboris neceſſitatem, cui hiſce in miſerijs oportunior vita, quæ amiſſa bona conſequeretur, non ſuppetebat, quam quæ cum terra & pecudibus rationem iniret. Hanc optimi quiq; amplexi, ſi quà paſcuorum

uber campus, ſaliens fons & hinc manans rivus, nemusve ſe offerebant, eligebant. Optimum quodq; ſolum voto cedebat occupandi jure dominijs facilibus. Limitem fundi rei familiaris modus non cupiditas conſtituebat. Sine avaritia agitantibus ſua ſatis placebant. Nullas agrariæ leges turbas moverant; nullæ finium regundorum lites, terminive moti pœna iñotuerat; Nullus ſervitutum prædialium uſus. Campeſtris ſolitudo Patrumfamiliâs neceſſitatibus profeſsâ ubertate ſubveniebat; Qui ſine invidia vacuo rure degentes pecori notiores erant, quam vicino, ſæpius extra fundum non progreſſi. Atq; hoc vitæ genere ipſi Reges delectati unius prope

op-

oppiduli districtu regna & ditiones suas cohibuere; Quos ad hoc fastigium non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio, & Minorum reverentia provehebat; Ut qui primo Patres familias erant, auctis nepotibus, familiarum Principes haberentur. Tales Abraham, Loth, Isaac, Jacob reliquiq; Patriarchæ fuere, qui imperiũ magnis in tellurem & pecus quam populos exercebant. Quæ modestia stetit, donec crescente improbitate in magis possessionibus magna gloria poneretur; Tum urbes & provincias capere regium esse ambitionis impotentiâ, quæ nimium quantum, invectâ habendi cupiditate, miscuit. Hinc oppressiones imbelliorum, orbisq;

exiti-

exitium nata. Primus Nembrod, quem robuſtum Venatorem ſacra Hiſtoria appellat, & Ninus Aſſyriorum Reges veterem gentium morem nova imperij aviditate interpellavere, finitimis bella intulere, rudesq; adhuc ad reſiſtendum populos circum circa perdomuere, & alias ad ſequiora pronos mortales facilè ad dominandi libidinem impulere; nullo poſt remedio tanto malo ſufficiente.

Ergo priſci agricolationes cunctis negotijs antetulere, profeſſi nullam functionem propius ad ſapientis vitam accedere. Neq; enim fructus modo agricolam, aut quæ tellurem veſtit pulchritudo, ſed etiam ipſius terræ

vis,

vis, natura ſeminum, fruticum, indoles & virtus herbarum; Dein ortus & occaſus ſiderum, declinationum mundi peritia, temporum tempeſtatumq; vices & cujusq; anni mores delectant. Ex quo memorabili continentiâ vim cupiditatum ſtiterunt, naturæ leges ſecuti, in cujus illos conſortio ſimplicitas collocavit. Atq; hinc eſt illa animi ſibi conſtantis juſtitia, hinc pura conſcientia, modeſta ſapientia & vera fortitudo, pulcherrimæ belli pacisq; temporibus artes. In quibus vitæ morumq; tenor fundatus, non committit ut cara Deo integritas ſtatu moveatur. Nempe tutius virtutum moderamen innocentiam ſequitur, quam cū

inge-

ingenioſo labore veſtigantur: Cum natura ſufficiat, quod operoſis aliàs præceptis parandum; Prorſus ut plus integris proſit vitiorum ignoratio, quam curioſis cognitio virtutis. Quam enim primum priſca eſt fraudem paſſa ſimplicitas, innocentis vitæ diſciplina collapſa infandas traxit ruinas. Scilicet ut verbo conſtaret veritas: Facilè iisdem artibus bonam mentem retineri, quibus primo parta fuit. At ubi pro ſimplicitate verſutia pro continentia luxuria mentes invaſere, inter inania ſtudia ſimul mores diffluere, inq; contentione ociosâ virtus circumferri & linguâ. Atq; hæc quidem vis quanquã adeo mortalium corripue-

ripuerit actiones, ut per rus quoquè grassata innocentiæ delibârit partem, fixius tamen semel commissa hæret integritas quam ut tam altæ radices primo statim vortice solvi possint. Ac proinde si qui maliciam & turbas exosi ad quietem adspirârunt Vrbibus & Aulis relictis, in Ruris se sui angulos abdiderunt. Sed hæc aptius in ipso hujus vitæ decursu deprehenduntur quam operose accersuntur. Ego autem si tenerius in Ruris voluptatib9 offendero, non affectus tantum mei morbus, sed & rei ipsius dignitas excusabit. Nunc priusquam ad terræ cultum progredior, pauca de villa, in qua ago, præmittam. Opere enim pretium est, ut eò
minus

minus lateat, quo magis pulchro nemore obſcura ad honeſtam tranquillitatem ſeceſſit.

CAP. III.

Deſcribit Prædium, quod huic ſcripto occaſionem dedit.

SUburbanum, cujus vernis mihi delicijs frui datum, ſitus amænitate, cœli ſalubritate, & ſoli ubertate pollet; quem fundum optimum Punico bello Dux inclytus M. Attilius Regulus & Porcius Cato cenſebant; quod nec ex altero morborum, altero vero inopiæ ſit metus. Campus in arva, prata, ſalicta & arundineta diſtribut⁹ ædificijs ſubjacet, parte alia

te alia nemore ſaltibusq; ad orientem & meridiem divexis: Adſunt & ſalientes rivi, piſcoſiq; lacus multâ arbore opaci, unde villa prominet ad vicos ruſticos latâ fronte obverſa. Hujus area longe pulcherrima in quadrum patet, circa latera undequaq; aptiſſimis ſublata ſtructuris: Capacibus horreis, longis Boum Equorumq; ſtabularijs, Granarijs amplis & ſolarijs fœnilibus & palearibus, haris, cortibus & quæ alia in divitis villæ uſum, debita ſerie in univerſo conſepto digeſta ſunt. Aream claudit atrio oppoſita ſepes, quæ urbanam villam potiore ſpatio recepit. Ruris aptiſſima negotijs ea, nec indigna Nobile domus, honeſtâ

fruga-

frugalitate & mundis cœnaculis decora, cellarijs item Cryptisq; subterraneis & utilibus conclavibus amœna. Humus vestibulo subjecta tenero gramine porrigitur, ubi subter umbrosis tiliæ frondibus, fons cisterna excipitur, cujus syphonibus suppositi alvi potum sufficiunt, cum meridies in umbras pecudes coëgit. Depressiora areæ, fimo stramentis fruticibusquè rudiora sunt, aut sparsis aratris, plaustris reliquisque armamentis rusticis, verâ villæ imagine oblectent. Promiscua nempè dulcedine obnoxiós tenet vita in sylvis campisq; acta, amænissimâ securitate, incultâ etiam facie, & sórdibus sæpè placens.

Sed ad aream secundam in

quam

quam Urbanum Prædium recurrit, aditus est, quà Aquilo latus ferit. Hic longo tractu dispoſita tuguria, venatoriam piſcatorumq; ſupellectilem tuentur. Succedunt deinde, brevi interveniente ſepimento, Furnaria Zythiq; officina meridiano horti lateri obtenſa. Interiora areæ qua Eurum accipit, è cratibus & argilla ſtructa maceries ſepit. Cujus tamen poſt Prætorium refugiens ſinus Apiarium habet inter floſculos & herbulas vegetum. Humus, arboribus umbroſa, ludente rivulo ſalit, & incumbentia tecto frondium umbracula, gratiſſima aurâ favent. Vagantur paſſim aſſuetæ villis Volucres : Lacus anſerum anatumq; gregibus opportuni;

Vici-

Vicina prata Numidicis cum pullorum exercitu grata. Pavones gemmantibus caudæ pinnis auroq́; fulgurantibus superbiunt, quas cum explicant eriguntque rotare dicuntur; Columbi pipionibus cibos comportant, vel nidos collectis stipulis fænove instaurant. Cernere est Gallos sterquilinia vertere, Gallinas circumducere teneros fœtus, congregare sub alas singultu, & ne quem corporis mole superincubantis premant, leni alarum arcu crispatum corpus suspendere, sub quo impelles foveantur. Egregium exemplum, quod & Mundi Salvatori placuit, pari modo sibi caros convocanti. Circumvolitant alites alij, consue-

ſuetudinis humanæ patientes: Hirundo tigillis & ſub projecturis trabibus, aut qua intro fugiens paries arcum facit, nidos applicat : Faſtigia ædificiorum Ciconia occupat, utilis purgandis pratis ſaltibusq;, avis, colubris nempè alijsq; venenis cum fœtu infeſta. Volucres quoque ſylveſtres, quas vicinæ arbores contra ventum pluviasq; conſitæ invitāt, monedulæ, cornices, picæ, inviſum Patribus familiâs genus, pullos in frondibus educant. Audire eſt ſtridores, clamores, plauſus, manè præſertim, vel cum ſub noctis viciniâ ê campis turmatim convolant, reſpondent villæ greges vel ê proximo argutus anſer gallusve, & paten-

tis ſolitudinem ruris infinitâ voluptate eblandiuntur.

Cæterum Hortus, quem præter ibamus, in immenſum diffunditur amæniſſimis ſpatijs digeſtus. Pomaria quippe multa fœcunditate fructuumq; nobilitate celebrantur, regionis genium, Hortulani ſolertia vincente. Et ſubactum ſolum, ordinata arborum ſeries, exoticiq; fœtus, Domini ſolatia ampliſſimè commendant. Mox viridarium frondeâ porticu pomario junctum viva ſepes circumagit, hilares exercent umbellas inter ambulacra diſtributæ plagæ & pulvilli, omni narium palatiq; copia ridentes. Humus vacans largo gramine viret, ubi per teſſellata

ſpacia

ſpacia, heroicis Exercitijs carceres, generoſa diſpoſuit poſſidentis alacritas, lympidaſq; junxit piſcinas. Sed noviſſimo Horti loco ſparſum Nemus longis umbraculis denſat arbores priſcâ ſimplicitate Dijs Deabuſq; ſacrũ, quos ſtirpium fontiumq; amor cepit. Nempe & ſcatebris umbroſarum ſpecuũ irriguus lucus labentes aquas frondoſis arbuſtis veſtit. Mox effuſior unda ſtagnat, nec tamen pigro lapſu paluſtris, hæc ulvâ & arundine florens varijſq; piſcibus læta prodeuntes rivulos in remotiora Horti provolvit. Huc potum veniunt incluſæ feræ, hic fulicæ deliciantur & anates, lociq; amænitatem luſtrorum imitatione in

saltus

ſaltus aut ſylvæ adſpectum producunt. Qua torrentibus latiori ſe oſtio ſtagnum infundit ambientibus undiq; ramis tiliæ coeunt, umbraculum æſtivis dapibus Patri familiâs communicantes; Intra cujus complexum in ſedilia & menſam lapis factus convivantium hilaritati inſervit; Huc vicini vocantur, & non fallaces amici, ruris ſecuritatem experturi. Honeſt⁹ utiq; convictuum modus ſodalitij æquanimitate ſed inprimis ſinceritate. Nullus contra fragilitatis faſtidia potior delectus, quam vitæ tam nobilis tam jucundæ ſolitudinis ſolatia. O qui me vanis exemptum liberali huic otio reſtituat! Non luxum quæro aut opes, ſed & ambi-

ambitionem ſperno libens, tantum liceat mihi in bonorum conſuetudine innocentiâ tempeſtatis frangere, & fallere cordis ſuavitate degeneris mundi improbitatem; liceat in Horti receſſu latere, ubi ſub ramorum umbrâ fons ſylveſtri ambitu in rivulum cadat, quà nec Syrio acceſſus ſit, nec turbis. Vera ea denum in hoc terreſtri hoſpitio vita eſt, in qua minimum vanitatis occurrit.

CAP. IV.

Pergit in deſcriptione Suburbani, & palatium depingit; ſeceſſus Muſarum & continentiam laudat.

QUa poſt noviſſimam aream amplior per ſpatia lacus porrigitur, Inſula eminet multa arborum amœnitate inumbrata. Locus editior è media planicie faciliora acclinat latera, ſtirpibus lætiſſimis per declivia amictus. Inſulam pons continenti jungit, ſtructuris utrinq; itineri patentibus, Quas in lacticiniorum promptuaria, Balnea & Hypocauſta Patrisfamilias ſolertia diſtribuit. Pons pergulæ inſtar loricâ ſeu cancellis latera erigit, etiam ſeſſioni aptus, ſi primæ noctis pulchritudo invitet, vel eſcis immiſſis piſces ad certamen incitare juvet. Inprimis cum meridies æſtuat, voluptas eſt ſub umbroſâ ripæ crepidine deſuper

visum lucium sagenis circumvenire, paratum obsonium, vel neglectâ oblectatione fundâ insidiari pisciculis, quos tepida aquæ superficies evocat ad lusum. Palatium Insula sustinet, ornis ingentibus crebraq; fraxino, serpentibus invisa arbore, qua in præceps via est, continuo ambitu munitum. Quarum ductum tenet topiarij operis sepimentum, margines Insulæ pampinis salubribusq; alijs fruticibus vestiens; Inde pulcherrima conclavia per frondium moras radijs illuminata vario quasi sole pinguntur. Infima palatii pars interveniente atrio, amœna cœnacula adversis mundi cardinibus opponit, his frigori, alijs æ-

ſtati opportunis. Succedens contignatio, qua cochlea ducit, ſpatioſum habet triclinium, quod hyberno orienti expoſitũ, totius prope diei ſole hilaratur, & amœniſſimâ libertate, ex edito lacus rivulorumq; ſinus cum nemorum reliquiq; ruris varietate, ea quæ receſſere quoq; proſpectat. Parietes artificioſis tabulis & eximijs ſpectabiles picturis. Munda ubiq; ſupellex, nec qua parte honeſtas ſub elegantia aut frugalitas ſub liberalitate vapulat.

Sed Muſæum eſt ad Auroram longis oppoſitum agris, quale in M. Varronis villa ſub Caſſino oppido ad Vinium amnem venuſtiſſimum, aut Bibliotheca deli-

delicati Ruris Julij Martialis, qualesve Ulpiano Autore in Romanorum vulgo fundis erant, ut quoties Dominus venisset, uteretur; Unde armenta, segetes, & omnem Rei rusticæ voluptatem procul arbitrari licet. Instructissimus secessus & decens seu libros spectes, seu tabulas, nunc orbis, nunc aliam figuram præferentes. Hic prudentiam colit solidam Nobilis Paterfamilias, unam orbis rationibus præfici dignam, si prisca virtus respiret. Namq; nullis desiderijs obnoxius, omnem studijs libertatem impendit, dignissimam rem inter mortales consecutus, illibatam sapientiam & secretæ conscientiam tranquillitatis. Aptissi-

mus nimirũ reconditis locus eſt, qui ſecretius ſeceſſit, cui clariora monumenta deberi vulgo receptum. Ita Tuſculanum, Cumanum, Phormianum, Laurentinum, & alia propiore ſeculo famam meruere, ubi Domini ſibi & Muſis vivebant. Quanquam enim villæ ſuæ claudatur conſepto, orbem tamen circumſpicit Vir prudens, & plæraq; ridet aut potius miſeratur: Nunc ſitus locorum, gentium, animorumq; varietates legentis animum oblectant. Mox magnorum virorum virtus integrat; Iterum inſperati eventus; brevis gratia fluxum rerum faciem objiciunt. E tali bene latentis exercitio, omni ævo modera-

tio

tio extitit quæ in publicum protracta laborantium fortunam sustentavit. Hinc prisco seculo per Rura mitti palmatæ, Agricolæ spectari Consulares, Pastoresque trabeati, & inter armenta vestiti Dictatores. Quinctius Cincinnatus à vomere ad Dictaturam productus, unicum præcipitis rei columen Romanis fuit. E quatuor enim jugerum herediolo per viatorem in urbem vocatus, obsessa ac pene jam rapta Consulis castra egregia virtute servavit; Victos, ut Florus ait, ne quid à rustici operis imitatione cessaret more pecudũ sub jugum misit, & finita expeditione rediit ad boves triumphalis agricola, ut ipsa celeritate festinasse Dictator ad relictũ opus & immunẽ Ruris

amæni voluptatem videretur. Abdolonymus Sidone ſuburbanum Hortum exiguâ ſtipe colebat, magnam Regno indolem reſervans, in cujus fortunam inſignem adeo moderationem continentia provehebat, Quæſiti nempe rerum ſummæ quos frugalitas commendabat. Hinc magna remotiore ævo paupertati laus fuit, quibus Romana res immenſum quantum crevit nullibiq; terrarum plus continentiæ datum, quam in urbe. Antequam enim peregrinæ luxuriæ indomitum malum inficeret mores, antequam epulæ, rriumphi &collegiorum cœnæ excandefacetent annonam macelli, & frugalis vivendi ratio diffluereт, pau-

paupertasq; probro haberi cepiſſet, nulli populo nec ullâ virtute Roma conceſſit. Tum modum agrorum ſeptem jugera excedere, aut denas argenti libras viro triumphali in ſupellectili eſſe, perniciosum haberi. Fabricius & Æmilius, Valerio teſte, patellam habebant Deorum & ſalinum. Quippe Plinio dicente, Fabricius, bellicoſos Imperatores plus quam pateram & ſalinum ex argento habere, vetabat. Et tales in paupertate vicinis circumquaq; imperabant, horum virtutem Reges per munera & Legatos colere in honoris parte habebant. Curius Dentatus â Samnitum Legatis, rapâ ſibi parare obſonium inventus eſt, &

ob inſignem virtutem quinquaginta â populo oblata ſoli jugera ſupra conſularem triumphalemque fortunam putavit, plebejâ menſurâ contentus. Ælius Cattus Conſul fictilibus cœnans Legatos Ætholorum, vaſa aurea offerentes, repulit; Fabricius oblatam â Pyrrho imperij partem repudiavit. Æliorum familia & Tuberonum, cum decem & ſeptem ejus cognominis forent, modicas ædes cum uxoribus & liberis ſimul habitavere, unumq; Vejentinum agrum pari opera colentes, ex fructibus ejus victitavere. Et duraturæ hoc virtutis cenſebatur; Nempe quæ ſe ipſa contenta eſt & avaritiâ luxuq; citius fatigatur, quam juvatur.

tur. Sed hæc ſuo quæq; tempori reſerventur, nunc ad inſtitutum redeo.

CAP. V.

Abſolvit Prædij deſcriptionem & ſtudium commendat Equorum.

QUi inſulam ambit lacus ſubter pontem arctiore cohibetur ripâ, quippe qua Auſtrum ſpectat, molli clivo vallum ſuſpenditur frutice & frondoſis arboribus opacum, quæ pronius incumbentes undis cum oppoſito nemore apicibus ferme concurrunt; Ut latus illud longo porrectum dorſo, perpetuâ fronde tegatur volucrũ cantatricium nidis frequens. Ab utraq; vero alvei

alvei parte virens arbor frutexq; cum reliqua Insulæ facie in aquis pulcherrima imagine spectantes vel amne subvehentes oblectãt, & latibulis familiam prædij occulunt, ut advenas anates aliasq; aquatiles volucres oportunè per lacum ferire possint. Sed è faucibus hisce prolixius sensim se explicat alveus & late circum patet, postremo quà ad orientem vergit ingenti saltu conseptus.

Qua unda, ripâ tenus pecudes pastum ducente, per Triones versus Eurum subit viridi aggere coercetur, salicibus utrinq; plantata. Lacum premens saltus, in recessus se aperit, intermeantis rivos recipientes, quorum ductu ad molendini imminentis proximè

ximè rotas vehuntur. Inde in præceps ruunt, & aquarum divortio per prata, quæ depressiore solo ab hac aggeris parte late inter arbores procumbunt, dispensatis canalibus sinuantur. Saltus avia omne volucrum genus frequentat, lepusculi item & capreæ incolunt, vel capellæ & hædi ferarum in morem, umbrosis lustris inerrant. Lacus junco, arundine & Nymphæâ florulentis, anatum sylvestrium & Cygnorum, aliarumq; avium aquis gaudentium fœturâ insignis est & eximiè piscosus. Ab aggere, quà Hortus oriente purpuratur, Equile in prata excurrit, ubi generosiores equi stabulantur,

non

non poſtremum prædij locupletis decus.

Enimvero Nobilitatis gloria, poſt robuſtam virtutem alacrius vix ullâ in re eminet, quam ſtudio equorum. Nec enim animal eſt belli pacisq; temporibus aptius, fidelius aut Domini amantius, quam venuſtum hoc & vividæ indolis jumentum. Hujus intuitu Clientelæ datæ Equitumq; nomen & dignitas cepit. Sed jam â priſcis inde ſeculis Equorum amor Deorum cauſa famam tulit. Gentiles Neptuno Equorum originem adſcripsêre; Caſtoris Cyllarus Poëtarũ fabulis Alexandri Bucephalus Hiſtorijs inclaruit: Erichtoni⁹ plures curru equos jugere, Lapithæ dorſo equi hærere docuere; nec deſunt qui

qui Cainũ parricidio infamem, DEI vindictam evaſurum primo equos domuiſſe credant. Hoc certum habeo, quod ſublimes quosq; ac militares, animos incredibilis ſemper equorum voluptas tenuerit : Theſſali inter Græcos celebres inter Barbaros Scythæ, inter Germanos Tencteri, inter Latinos Romani, qui reliquorum laudem ſuperavere equeſtris exercitij claritate; Qua forma ſtatuas Heroibus evectas ex Rerum Annalibus habemus, & monumenta ſuperant. Cloelia quod contempto hoſte ex Tyberi Dux obſidũ Virginũ equo Romam evaſerat, ære ficta eſt; eques Curtius & quisquis Romanorum clarus fingitur, Cæſarumq; Effigies hac forma ſtatuuntur. Hinc

Hora-

Horatius Venusinus, inter alia ævi dedecora, hoc acerbe notavit, quod equo nesciat hærere, puer ingenuus, venariq; timeat; Quæ socordia, nostra quoq; ætate familiaris superiorum temporum usu rem claram nobis sola ferme ambitione superstitem reliquit.

Cæterum animalis hujus vegeti spiritus, quemvis facilè trahunt, cum gressus glomerat cum jubis caudâq; superbit; Quippe nobili semine satus Equuleus, indolis statim signa promit, sublimi cervice altius ingressus, mollibusq; cruribus expeditus. Post accedente Magistri curâ gyros variare docetur, nunc sueta vertigine in orbem act⁹, nunc cochleam

leam cursu imitatus, mox serpentino tractu sinuatus, vel dextrorsum lævorsumve jactat⁹ agilè pectus ad equitis nutum formosè flectit. Sed ad aulicam venustatem est, cum cruribus decorè sublatis modicis provolvitur passibus, Dein cum alternis nunc passum nunc saltum, ut vocant, vel in corporis æquilibrio suspensus utrumq; simul efformat. Nec minor bello usus, cum fossas transilit aut sepes, cum ad cursum incitatus strictissimam tenet orbitam, & in medio fervore repressus subsistit, cum media inter arma, belliq; horrores nec tormenta refugit, nec enses, etiam inter ignes ferox & fluctuum fragorem. Hisce in rebus homi-

hominum dexteritas, ingentis animi alias ſed docile animal neceſſitatibus mortalium &delicijs egregiè inſtruere ſolers. Hujusmodi negotijs Ruri nobilitas exercita, non eſt, ut in molliciei ſuspicionem veniat, ſin & venatio maſculiq; roboris uſus accedant. Tum & fortium virorum conſuetudo alit virtutem nativitatis indulgentia generoſis infuſam. Romanorum id exemplis apertum: Corruncani veteres, cum induciæ bella ſuſpendebant, inter aratra vivebant, & ne virtus otio, langueſceret, depoſitis in gremio Capitolini Jovis laureis viri triumphales ruſticabantur. Et etiam nunc pacis tempore veram cordati hominis vitam campe-

bestrem judico, cum ſtatus manu vel mente ejus non eget. Quot egregios Duces, inquit ipſe Dux inclytus Lanovius, patrum memoria vidimus, domo finitis expeditionibus non egreſſos, cumq;, eo redeundum erat nulli virtute ſecundos. Sed hæc equorum Magiſtri & militares viri rectius tractant. Ego ruſtica ſcribo, multa locorum voluptate, ædificiorum oportunitate, proventuumq; divitijs beata.

CAP. VI.

De ambitione & Fortunæ inconstantiâ.

SEd maxima nunc pars mortalium secessus Ruris aversata ad splendorem & sublimia contendit, feliciorem se rata, si inter turbas emineat, quam modestiâ occasioni se servet. Mihi vero quanto diutius ævi studia intueor, tanto magis ludibria rerum humanarum, cunctis in contentionibus obversantur. Quippe periculis & invidiæ potius objiciuntur ambitiosi, quam ut ad constantem gloriam securâ viâ nitantur. Quoties namq; hæret in ancipiti deprehensa felici-

tas? Prorſus ut magis tranquillitati idonea cenſeatur æquanimitas, quam quæ in faſtigijs rerum dominatur fortuna, contra quã nunquam ſatis cauta eſt mortalitas. Quod ſi vetuſtiſſimos mortalium reſpicere libeat, tutius vixiſſe conſtat, quia innocentius latebant, nulla adhuc mala libidine, ſine ſcelere, eoq; ſine periculo agebant, & formosâ locorum ſolitudine ad delicias utebantur & ſalutem. Nempe orbis ſuæ origini propior nondum exuerat æqualitatem, nec pro modeſtiâ & pudore, ambitio & vis inceſſerant, quæ jam, noxio graſſantur exemplo, eo impunius, quod potiſſimorum ſuffragia trahunt. Hinc bonorum

numerus premitur, nec in illo computari volunt, qui speciosa præ veris bonis sequuntur. At vera animi magnitudo spernit, quod alij per ignes petunt & ferrum, eâ nempe subnixa prudentiâ, quæ vanitatis pertæsa, propius res perspicit metui intentior quam spei. Sapienter sanè Hephæstion claros natalibus juvenes Sidonis Regnum repudiantes hac oratione commendat; Vos quidem macti virtute estote, qui primi intellexistis, quando majus esset Regnum fastidire quam accipere. Namq; principio statim invectam cupiditatem

tem vindicta secuta est, etiam innocentiam insperatis casibus opprimens: Croesus spectaculum dedit & qui hunc vicit Cyrus. Didicit idem Sesostris Ægyptius, cum aureo curru sublimis devictos à se Reges sub jugum cogeret. Unus enim ad rotæ identidem gyrum respiciens, cũ causam quæreretur: Rota, inquit, fortunæ imago est, in qua ut summa cito ima fiunt, ita sors mortales versat, modo tollit modo premit: Virtus ipsa tyrannidis iras imbuit: Exemplum est Thrasea & Burrhus. Quod si impotentium se animis superfuderit fortuna, in quæ illos præcipitia trahet? In Hamane id & Sejano constitit, qui indulgentiâ elati, si-

ti, ſibi felicitatis arbitria adſcripſere, de quibus caſus diſpenſabat, quem ipſi magis immani ambitione irritaverant. Sed & calumniæ, adulationes, amicitiæ fallaces, bonis ſemper infeſtiora quam malis vitia, aulas præcipuè tenent. Inter quæ quis ſibi perſuadere auderet, eſſe aliquid in noſtris conſilijs, licereq́; inter invidiam & contemptum pergere iter vacuum periculis & offenſione? Quis tutis præferre vaſta ſuſtineat? Sed nos per ambigua graſſamur ad fragilia, vitæ impendio inſtabiles mercati honores & mox perituras opes; Bellorum turbis tranquillitatẽ credimus, felicitatem illam ipſam, quam ſcopum habent mortales, unius

unius sæpius pugnæ discrimini committimus aut vulgi inconstantis motui, Procerumve gratiæ nimis fluxæ. Loquatur tot seculorum testis Historia & per currentia superstes experientia, rerum decursu planum erit, quã fragili stet loco potentia, nisi majori vi supernè fulciatur. Neq; ulla tristiores patitur casus quam magna fortuna, si minus reverenter habeatur. Quanto prudentior, qui indulgentis inconstantiam perpendens magno animo labilia spernit, & intra sui Ruris secessus tam dubia secure arbitratur potius, quam ut interesse gestiat, Deo intentus & naturæ operis. Ergo aut venando curas fallit & aucupio, aut segetes

pelluſtrat & in pratis luxurians pecus, vel piſcando ſeria temperat, & unus armorum ſtrepitum, qui Europam concutit, non exaudit. Verum ego liberius proceſſi dum me ſeculi calamitatum miſeret tædetq;, nunc reliqua exequi pergam.

CAP. VII.

Oblectationes Ruris vernas incipit, de agrorum varietate, aratione, ſatione, prognoſticis & prudentia ruſtica agens.

POſtquam otij mei ſedem Villam diſpoſui, adducturus ſum occupationes, quæ Rus commen-

mendant: Quod fructuoſæ, vari-
âq; amœnitate ſint, deinde ab
imposturis & iniquitate magis
abhorreant; Quæ mala divina &
humana permiſcent, eoq; vecor-
diæ proceſſere, ut probitati tur-
pitudo orbis finem fecerit. Sed
Ruſticationis curam brevi tem-
peſtatum anni curſu abſolvam,
imitatus Illuſtrem virum Palla-
dium, aliosq; quos ſimile ferè ar-
gumentum diſtinuit. Hæ nam-
que ſtatis qualitatibus ſolemnes
ſuccisiva Agricolis opera ſubjici-
unt. Ver autem tempeſtatum
prima, Arietis Tauri & Gemino-
rum ſignis coercetur, & quan-
dam Orientis Naturæ imaginem
refert, purpurantem auroram
matutino cœlo ſereniſſimè dif-

fundens, orbemq́; formoſa rerum pubertate veſtiens.

Campus varijs coloribus floret, pecus per prata ludit, rivuli & fontes grato murmure per paſcua deſcendunt; Nemora & ſaltus volucrum concentu queruli amicum aêrem mulcent, languor hybern⁹ fugit, vigore novo ſalubribus auris proveniente; Tellus geniali virtute juveneſcit, mortalium delicijs indulgens. Nihil lætius aſpectu gratiusvè quam fundus ad immenſam copiam fœcundus, vere omni agrorum diſcrimine floreſcens: Tum pampinis veſtiuntur floridi colles, prata rident gramine, ſalicta virent & dumeta, fruticetum paluſtribus ſparſum frondeſcit;

descit; Nemora Hortiq; folijs & flore luxuriant, Frumenta ingenti campo per jugera prodeunt; Ut in tanta rerum pulcherrimarum varietate neminem pigere possit immensos fructus fœnerantium laborum.

Cæterum Agricola quam primum clementiore æthere elementa mansuescunt, & pluviæ tepidiores contumax rigoribus solum maceravêre, agros exercet, prima luce jumentorum ope labores aggressus, tam humani victus quam honestæ satagens voluptatis. Prima vero arationis cura est. Neq; enim modica reditibus confert bene scissus ager, eo melior quo crebrioribus sulcis solvitur, ut ægrè appareat

utram in partem vomer actus sit. Ita sæpe industria pensavit soli naturâ negata. Quippe crudiores glebæ, temerè arantis negligentiâ egestæ, jejuniorem humi partem tractam subjiciunt, ut mista lætiori in fœcunda materia segetem minus uberem reddat. Sed & laxiores sulci latentibus scamnis terram suspendunt; Hinc iterati vervacti duritia respuitur vomis, vel non minute findit glebas, & ad vastos cespites impingens objacentium contumaciâ à sulco repellitur. Itaq; non perfunctoriè hanc partem Agricolæ diligentes exequuntur, gnari quanti intersit agrum bene colere. Et in urbe olim censoriâ notâ castigatum sci-

ſcimus, minus arare quã vertere.

Verum æſtivæ ſegeti relicta arva alacriter tractantur, varietate ſeminum ſpem propiorem ſubjiciente. Namq; & robuſtiora farra poſt vergiliarum occaſum auctumno ſeminata iterato jam virore prodeunt, aſpectum laborantis amænitate ſatorum remunerata; Adeo ut, dum horedo, aveniæ, piſis, alijsq; ſeminibus rura moliuntur Agreſtes dum offringunt, ſarriunt, occant campos, faſtidia ſi quæ ſunt laborum gliſcentibꝰ terræ proventibꝰ frangant, quos Equorum Boumq; vigor laboribus promptiores facit.

Porro juxta arationis peritiam terrenorum diſcrimina ſunt, eq; re colentis putatum habitus

noviſſe

novisse locorum. Namq; ut soli natura est, ita culturam poscit. Resolutiori sufficit, si summa parte levi vomere saucies: Spissior ager validioribus dentalibus penitus subacto solo movendus, si arbusto luxuriet dolabris juvandus, & refodiendæ stirpes præfractæ summæq; radices, ne operis iniquitas indignè mulctet incassum nitentia jumenta. Mox alia camporum varietas est novæ scientiæ obnoxia: Quæ frumentis leguminibusve humus apta. Quæ ferat pabula quæ recuset: Hinc seminum qualitas indaganda; Ne macer ager serentis imprudentia urentibus seminibus exhauriatur, lætusvè diffusâ luxurie ingrati seminis

minis ſylveſcat. Profundi judicij res habita, interq; momenta hujus artis à ſummis viris relata.

Sed non minor ſolertia circa Anni qualitates. Quas patiatur vices quæq; tempeſtas, quæ gravior dies, quæ ſerena futura. Cujus rei prognoſtica certius Agreſtes præmittunt, quam quos profeſſionis tumor inter aſtra repoſuit, Chaldæi. Et talia, colonica lege, Halicarnaſſæo autore, Ruſticantes norunt, ab initio culturæ temporibus idonea aſtra ipſo jubare præ alijs notantes. Ita Plejadum, Boum & Trionum nomen ex agricultura in cœlum migravit. Succeſſit notorum ſiderum virtus, mox aliorum dominium, ſtatis viciſſitu-

dinibus Menſium dies inſigniens. Cæterum Ver pluvium vulgo deprehenſum ; Ac proinde ſigna attentis ſubjecit experientia, ê quibus infeſtam laboribus impendentis tempeſtatis cruditatem præſciſcere licuit: Nempe ſi orientis vel occidentis ſolis facies maculis turgeat, aut aër lividis tractibus albeſcat, imbrem aut tormina minantur. Luna etiam nocturnis ſilentijs pallorem humidis intermeantibus nebulis, aut rarioribus vaporibus, ruborem mentita, pluvias indicit vel ventos. Quodſi effuſa caligine lucem obducturæ nubes cumulentur, Mergi ſe temere lacubus proripiunt, Ardea ſuetas deſerit paludes, grues cœlum

lum petunt, & in ſicco ludunt paluſtres Fulicæ. Moneri crediderim humorem inſtinctu animalia, aquas aeremq; miſceri, in quorum viſcera elementa valent. Pluviæ ingruunt.

- - Cum bucula cœlum
Suſpiciens patulis captavit naribus auras,
Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo,
Et veterem in limo ranæ cecinêre querelam.

Et quæ alia prognoſtica facundiſſimè deſcribit prudentiſſimus Poëtarum, cujus digna ſunt Georgica, quæ ſtudioſè legantur; Quod utilia & jucunda ſumma arte miſcent. Ut divina illa penè, ubi corvorum prœſagia declarat.

Tum liquidas corvi preſſo ter gutture voces,
Aut quater ingeminant, aut ſæpe cubilibus altis

Neſcio

Nescio qua præter solitum dulcedine læti,
Inter se foliis strepitant, juvat imbribus actis
Progeniem parvam, dulcesq; revisere nidos.
Haud equidem credo, quia sit divinitus illis
Ingenium & rerum fato prudentia major.

Et mox ubi tempestatum & animorum vices designat:

Verum ubi tempestas & cœli mobilis humor
Mutavere vias, & Juppiter humidus Austris
Densat erant quæ rara modò & quæ densa relaxat,
Vertuntur species animorum & pectora motus
Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat,
Concipiunt. Hinc ille avium concentus in agris
Et lætæ pecudes & ovantes guttere corvi

Præterea & certarum dierum conditio messis auctumniq; benignitatem providis pollicetur, aut Coryli Amigdalorumq; copiosus flos, spem lætiorum proventuum facit.

Superiori prudentiæ Gregum Armen-

Armentorumq; cura accedit stabulationis pabuliq; ratione memoranda; Mox medicina pecoris ægri; Deinde sordarum reliquarumq; fœtarum matrum observantia; Deniq; natorum discrimina. Nec enim promiscua soboles fœturæ habilis est aratro aptior sæpius aut macello. Hinc labor generis, habitus & admissuræ temporum, ut Parentũ robora nati referant, quæ facie coloreq; dignoscuntur. Quorũ intuitu facile cũ Columella censuerim, proximam sine dubitatione Rem Rusticam & quasi consanguinem sapientiæ haberi, cujus perfectio à rerum naturæ sagacitate dependeat.

CAP. VIII.

CAP. VIII.

De stercoratione agrorum aliisq; curis, mox vitium Hortorumq; culturâ.

CÆterum Patrumfamiliâs officium est fatigatam laboribus humum fimo instaurare. Namq; usu liquidum est continuarum Messium impendio deficere solum, genitali humore, ceu hominis, negato pabulo vanescente, nec sufficere frugibus, nisi sterilescentis virtus novavi resuscitetur; Cui operæ ver aptissimum habetur. Itaq; sterquilinia â Prætorij aspectu a-

verſa habentur è pecudum ſta-
bulis congeſta, quibus effœtæ
telluris maciei medeantur. Sed
lœtaminis qualitates cognoſcere
expedit, cuiq; glebæ utilis, vel
noxij. Nec enim par omnibus
bonitas, humore ſæpius, fætore-
vè vel fervore peccantibus. Avi-
um verò columbinum præſer-
tim & turdorum optimum ha-
betur, quod modice ſparſum,
terram fermentare compertum
eſt, hinc Gregum deinde Armen-
torum valet. Sed miſta ſtramina,
vepres, frutices, item cineres alia-
que villæ purgamenta & quæ
cortis domusq; colluvies quoti-
die gignit, non parum ſperatæ
ubertati profuere. Arvis autem
utile eſt ſtercus, aliquo tempore
dige-

digeſtum, quod herbarum adeo non prodigum, integris tamen adhuc ſit viribus; Recens pratis commodius ad graminis luxuriem, creſcente luna, initio Veris apte miſcetur. Ita jugi prorſus labore agreſtia obeunda, qui functionem tueri volet. Neq; enim impendentia duntaxat agreſtes curant, ſed & proſpicientes intuiti annos, nunc vervacta domant vomere, nunc novalia tractant, aliaq; tempeſtivè accelerant inſidioſiſſimam cunctanti rem agreſtem experti. Sic & arantibus cura eſt, celſiore arva ſulco attollere & ducere liras, qua ſublatus trames jugera dirimit. Mox ſi imbriferi veris tempeſtas campos inundet colliqui-

is per

is per ſata ſtagnantes ſubducere lacunas; Ne herbeſcentis grani radix diluta humo ſolvatur, ſeminave vix projecta diffluant, aut ſeges turgeſcens humore in ſteriles herbas ſpargatur. Ubi parcior ager, bonus Paterfamiliâs, ê frutetis etiam paluſtri barbaroq; rure, arva parat aut paſcua, quam inter vetuſtiſſimas curas refert Columella, circumductis nimirum foſſis collecta palude virgultis verò incenſis radicibusq; ſuffoſſis, campo in arvi ſtatum veniente. Hinc ſuopte genio tellus fœcunda benignius initio cultus exuberat, egeſtarum radicum ſparſorumq; foliorum pabulo adhuc ſaturata, quod vomere verſum per glebas diſtribuitur.

Quo

Quo ſi inſitæ frondes, matrem ſubindè alerent, geniali ſucco pingueſceret, in perpetuas fruges læta. Præterea ubertatem juvari certum eſt, ſi venæ terræ & ſpiramenta igne laxentur, quo ſubire humor queat, vitiaq; locorum excoqui calore. Dein cum invaleſcit ſeges, ſepimenta prætendere convenit, nec â ferijs alieno labore. Sitientibus item agris rivos inducere, avibus moliri inſidias, nullam vetare religionem veteres tradidere. Nunc omnis promiſcuè agrorum cultura venerabili ſolis die permiſſa eſt, ſi cœlum faveat. Ne pereat benignitas ſupera proviſione conceſſa, cunctarum hoc artium officijs prælatâ agriculturâ.

Porrò

Porrò vinetorum cura obvenit cum ineunte Vere ciconia redit, ut Mago autor est. Tum benignioribus auris refocillatâ tellure, ex horna luxurie relicta sarmenta putatoriâ falce Vinitores purgant, antequam progerminent surculi; Quod humoris pleni facilem plagam admittant nec ferro repugnent. Quanquam Auctumnus quoq; Columellæ, calidioribus plagis putationi aptus videatur; Quod naturali tum lege fructum cum fronde stirpes deponant. Quæ res Vinitorum peritiæ creditur, quibus locorum stirpisq; ratio habendã. Post vincente successu lasciviâ frondes subinde dejiciendæ, ut robur vitis accipiat, &

at, & aptiſſimum flagellum ſu-
pra jugum ſe efferat. Neq; verò
nimia pampinatione coercenda
ſemina, niſi valde imbecilles ra-
cemi. Namq; non minus, ut reli-
quis ſatis, ita vitibus quoq; diſpar
robur eſt, diverſæ curæ indigum,
quoppe nec uno ſolo delecta-
tum; Quo ſabuloſo glareavè je-
juno validiorum luxuries ſæpè
frangenda, tenuioris ſterilitas
palmitis pinguiori fœcundanda.
Juvanda itidem Vitis paſtinatio-
ne & fimo, veteri interdum uri-
na radici ſuffuſa, conchilijs e-
tiam per æſtatis vapores interci-
piendo humori ſuffoſſis. Ex quo
ſtudio quanti proventus dentur,
Columella concinnè oſtendit.
Cæterum delicias propior cura
eſt,

eſt, cum juſta vitis parte, medijs nimirum ſarmentis. Dilectus malleolus præ reliquis fœtu numeroſus generoſiori ſtirpi inſeritur vel paſtinato deponitur, cum longo collium dorſo amæna vitium ſeries digeritur, cum paribus numeris dimenſi ordines per declivia in ſubjectam vallem deſcendunt; Cum juga virgultis frondoſa, ſcatebris torrentem demittunt, limpidis flexibus manantem. Hinc lætior vitibus aſpectus diverſitate inſitionis oblectans: Quippe nunc ſerpentibus racemis humo ſparſus, nunc pedamentis ridicisve erect⁹. Cancellis autē junctus pampinus, claviculis hæret ducentiū tabulata ſecutus. Quod culturæ gen⁹ locis con-

convenire comperimus, quæ Ulmus, Populus aut alia arbor Baccho amica frequentat, quibus nubere palmes geſtiens felici complexu per ramos ſcandit. Mos Inſubriæ reliquæ Lombardiæ familiaris, ubi effuſa planicies, non magis ſepibus, quam Amygdalorum arborum nemoribus circum acta, media lætiſſimam Cererem alit, omnigeno fœtu amæniſſimi horti ritu graveſcens. Non deſunt locorum delicijs porticus multa vite opacæ, frondoſæq; pampinis pergulæ, quales fuiſſe crediderim, ſub quarum umbraculis Salomonis tempore in pace populus degiſſe narratur. Harum tam cultura & verna luxuries, quam æſtivus

matu-

maturatarum uvarum foetus, Possessoris voluptatibus infanda amoenitate obsequuntur. Tum vitis indoles, pedamentorum structura qua ducitur, claviculi, capitum jugatio, religatio & promiscui palmitum se diffundentium lapsus, formosa umbra, qua solis vapor arcetur, facile omnes sensus, sed maxime visum tenent, sed & neglecta illa putatorum oblectamenta, cum imbribus gravi æthere, structo è vitium sarmentis foco cum familiâ assident modicis otijs festivi proprioq; calore; cum â casâ prospiciunt florescentis auctumni honores.

Postquam adulciore vere ve-stus Aprilis, virorem Brumæ Spoli-

um

um naturæ reduxerit, voluptatis plena disciplina Hortis incumbit, Ubi amænissimi Amicorum collegijs dantur secessus, seu nemorosa frondium præferas permeantibus auris jucunda, seu specus vivosq; lacus optes aut ridentia tempe. Nunc enim virore umbrisq; annus formosissimus. Neq; vero Pomariorum prolixa cura, absq; ulla ferè cultura fœtus proferentium, nisi Hortulano in oculatione vel emplestratione putatione præterea & maritatione indeliciarum obsequium & usum arboreta exornare libeat, aut juvare plantas, sylvestrem indolem aut crudam mansuetiore stipite domando. At area herbis, floribus radi-

radicibusq; diſpoſita aliquantum ſtudij poſcit, ſed immenſi fœnoris, ut omnis abunde villa proventu exhilaretur. Quojure, Catone referente, Ruſtici veteres alteram ſuccidiam Hortum vocitarunt. Nempè porra, cæpæ, rapa, olera, & id genus munera frugalitatis ſunt apparatus; Varietas herbarum fructuumq;, odorum ſuavitas, amænitas colorum, ſpirituum deliciæ. Hinc juncta fertilitati ſalubritas toto jure viget. Aër purus & florum fragantia halans, quibus nihil rarius, aut formoſius coloris & odoris ſuavitate vel ipſius etiam figuræ concinnitate occurrit. Adeò horum in artificio ad ſtuporem natura luſit; Quæ radi-

 cem

cem herbæ in tot capillamenta ſecuit, hinc calamum producens, geniculis aut nodis tanquã articulis ſubvectum; mox malleolos, ſarmenta & folia, delicata ſerie ſtruit, fibris totum plantæ corpus pererrantibus; Huic vagina nata florem tegit, qui matutino rore refectus ad ſolis radios prodit bracteolarum ordine ſtructus, nunc in galerum, Calicem, tiaramve explicatur, nunc cidarum repræſentat ſpirarum glomere plexus, aut coronæ cultu ſuperbit. Hic purpura aut murice, alter argento aut auro fulget cœleſti alius ſerenitate, aut flammæ lumine radiat, alius omnis coloris aſpergine variat. Hic ſimplici amictu velatur; Ille den-

denticulis & crenis artificiosi marginis lacinias incidit. Sed & Rosaria suavissimum Hortorum decus pari pulchritudine lasciviunt; Nam & cancellis subjecta ambulacra sepiunt, pergulisque mixto rubore candoreq; formosissimum virorem inducunt. Nunc rosa ad auroræ jubar folliculo soluta apicem simili purpura nudat, nunc è primi obelisci acumine argentum exerit; Alia intortos omnino explicat sinus, diductis circum folijs crispata, ê medio tenuis crocus promicat, mox omne decus diffluit, humo labentibus bracteolis sparsâ. Rosas colligite, dum flos novus, mortales dum pubent herbulæ

& ævi memores mortalitatem floribus impressam omnibus sensibus considerate.

CAP. IX.

Commendatio & laus studij Hortensis.

HOrtensis, verò voluptatis affectus eo processit, ut ingentes quoq; Heroas in studij traxerit partem. Syriæ Regem, quem primum quidam Imperiorum conditorem Ninum autumant, conjugis, immenso Nemorum desiderio flagrantis, amore victum, pensilium Hortorum amænitate admirando opere naturæ genium imitatum scimus. Attalus Asiæ Rex, Horti

cultu

cultu curas mitigabat. Cyrus Minor Persarum Rex ipsi Alexandro Magnus, inter Majestatis momenta ostendit Lysandro Laconi Hortum propria cura plantatum, Beatus hoc habitus â viro summæ virtutis, qui Regis virtuti fortunam parem dictitabat. Theodosio Augusto Pacatus laudi vertit, quod oppida rure mutaret, vitæ urbanæ tædio executus Agricolam. In Dejotari Regis extremæ fortunæ casu Causæ Patronus allegavit: Quod non solum Tetrarcha nobilis sed & optimus Paterfamilias & diligentissimus Agricola & pecuarius haberetur. Antoninus Pius industrij Agricultoris laudem meruit: Ipsumq; Constantium

Imperatorem Agreſtem diſciplinam literis tradere non piguit; Nec minore Ruris gloria Avorum memoria Fridericum Imperatorem Noribergæ Tiliam, quam Agamemonem olim Platanum, ſeviſſe liquet. Unde ſubit merito nihil magis regale Xenophonti videri, quam ſtudium colendi agri. Tutior nempè Ruris labor tanta ubertate amænus; Quo ê Regnorum ſtrepitu animi ſæpe cauſa deſcendere, dulce fuit. Hinc Rus quoq; laureatâ lætum culturâ felicius, Plinij judicio, Cererem alebat, triumphali manu ſparſam. Cæterum plurimi paſſim Heroes illecti ſecuritate, purpuræ tuguria antetulere humilesq; caſas; Villisq;

lisq; tandem tot partas victorijs laureas, armaq; suspenderunt. M. Valerius Corvinus in agris consenuit, exacta etiam ætate, rura percurrens. Africæ ille Domitor Scipio, Patriæ cedẽs, in frugali Liternino diem obijt: Et ea manu qua tot hostes fudit, agros coluit, arbores sevit, piscinasq; deduxit. Et Plinij adhuc tempore durabant ibidem manu ejus satæ olivæ & conspicuæ magnitudinis Myrthus. Tot triumphis spectatus Lucullus propè Neapolin, Ruri senectam tranquillam transegit. Cato censorius relicta Roma, propè Picenum in villa residuũ ævi degit, & manuum labore victitans, studiorum & vini-culturæ vicissitudine se-

recreabat, hoc meritus continentiâ, ut foribus aſcriberetur: **O felix Cato, Tu ſolus ſcis vivere.** Simile conſecutus Prætorius ac dives ille Servilius Vacia, qui ſeceſſum captans Romamq; fugiens Tiberij crudelitate afflictam in villa inter Cumas & Avernum lacum ad littus conſenuit. Prudens ſenex Pericles relictis Athenis ad Villam conceſſit, agricultioni & ſtudijs vacans, in cujus Prædij oſtio hæc verba ſignabantur: **Inveni portum: ſpes & fortuna valete.** Diocletianus Imper. Nemini condolendum, præterquam Cæſari, neminiq;

niq; invidendum, præterquam Agricolæ dictitabat. Ipseq; adeo abdicato Imperio Ruri vixit, cumq; Imperio repeteretur, inter Horti culturam renuisse fertur; Tutius ratus satis lactucis & putatis vitibus in pace frui, quam Imperij mole premi. Vel, ut Victor habet, dixisse Diocletianum Herculio & Galerio Imperium obtrudentibus: Vtinam Salonæ possetis visere olera nostris manibus instituta, profecto nunquam id tentandum judicaretis. At quid ad epulas regales olera, hortusvè ad Regnum? Et illa præferuntur ab eo, qui utriusq; rationes norat. De Imperio sollicitantibus, vites & olera prætendit propria manu plantata. Nulla alia

la alia excuſatio eſt, quam Hort cultura. Credo & hic Regnum eſt, ſed tranquillius & majoris libertatis. Ita Lacon ſenex Corycius ſub Oebaliæ turribus in paupertate ſua Regum æquabat opes, animis, & rarum, quod in dumis alebat, olus, cum alijs ruris donis ſufficere putabat, divitiarum modum ex animo ſtatuenti. Ergò tum demum Magni Viri ſe vivere exiſtimabant, cum in Ruris ſui angulis latebant, ſoluti impeditioris fortunæ curis. Sic Similis, Hadriani temporibus clarus, cum ſe Præfectura Prætorianorum exſolviſſet, & ægre dimiſſus Ruri reliquos ſeptem vitæ annos conquieviſſet, ſepulchro moriẽs inſcribi juſſit hæc verba:

Hic

Hic jacet Similis, cujus ætas multorum annorum fuit, ipſe ſeptem duntaxat annos vixit.

Par deſiderium vitæ privatæ Auſonio. Quanquam enim is Gratiano A. cariſſimus & amplis eſſet honoribus ſublatus, magno tamen affectu ad villam revertitur, & profuſiſſimo animo Herediolum illud ſuum affatus, Majorum regnum ſalutat. Veriore, me judice, æquanimitate, quam cum Gratiano pro Conſulatu gratias ageret: Feliciſſimi nimirũ, qui turbis ſecreti Rura colunt, quo nomine Veronenſis ſenex â Claudiano laudatur; qui pa-

trijs in agris consenuerat; Quem senem eadem domus aluit, quæ puerum suscepit; Qui baculo, quo infans usus, senex nitebatur, unius tantum casæ annalium gnarus. Beatum senescendi genus, si caperent ambitiosi, quos fortunæ splendor occæcat. Aglaus Sophidius in Arcadiæ angulo Hortum colebat per sexaginta duos annos fundo non egressus; Atq; ideò ab Oraculo Gygi Lydorum Regi prælatus est. Dijs quoq; vitam hanc probari crediderim, cœlesti tranquillitate securam, cui non oculis tantum obversante cultu, sed occultiore vi tracti conciliamur.

CAPUT X.

De Seculi turbis & magnæ fortunæ periculis.

QUanquam modo (Quo indignitate rei relabor) diſtracto circa mala ſua imperio, cum diverſis orbis oris tot emicant tumultus, nulla eſt agriculturæ gloria: Arva ſqualent, vineta Hortiq; ſylveſcunt inconſultâ temeritate, barbarie populationibusq; inter ſocios ferociore, quam damno in hoſtes bellum. Hinc diſtractis Thracia imminet; aut fatigatus diuturnitate Civis iniquitatem onerum fugit, ipſaque inopia deſperatos accēdit in mutuam irritatos ruinam. Adeo

ruptis

ruptis legibus Patria insanit, & tota ferme sedibus excita Europa, manifesta divinæ iræ exempla refert, pudendâ obstinatione.

Equidem in tanta bellorum pertinacia, periculorumq; familiaritate nõ dubitem secus mortales de vera tranquillitate ac pace sentire, quam res est; Magna enim omnibus fortuna placet, & ex qua ad rusticationes experti descenderunt, rudibus dulcis est vita. Sed quos turbo inquiesq; Regnorum labor exercuit, tutiora eligũnt. Neq; enim externus ille splendor tranquillitatis fidem trahit, molestiarum plenus est, alienæq́; salutis anxietate gravis. Seleucus Rex purpuram regalem manu versans:

O pre-

O pretioſum magis, inquit, quam felicem pannum, quem, qui ſciret, quot curis refertus ſit, ne humi quidem jacentem tolleret. Docuit idem accommodatiſſimâ imagine Adulatorem Siciliæ Tyrannus. Primo ipſum regimen aſſidui periculi res eſt, prudentia, fortitudine ſed maxime pietate firmandum. Nunc exterus hoſtis laceſſit, Poſt inteſtinus languor frangit. Nam inconſultum variumq; vulgus perperam de principum ingenio cenſens, nunc lenitatem mox rigorem accuſat, rudeq; veræ providentiæ quidvis præſenti

ſtatui

ſtatui præfert ad res novas proclive. Sic dum ſuetum regimen deſpicit, properisq; auſis, aut callidis conſilijs recti nomine favet, ejus ſtudia â ſalute publica plurimum divertunt: Hinc ſeditionibus miſceri, vel ardere rebellione, ſicubi Ducem nanciſcitur (Qui rarò perduellibus deeſt) in gloriâ numerat, ſubjectæ novitatis inſaniâ omnia molitum, quæ bonis artibus officiunt. Quod ſi libertatis præterea opinio furorem acuat, tum demum vera felicitas vapulat, & magis in publicam peccatur pacem, quam cum furore invecta tyrannis ſævit. Nam uti quisq; ingenium habet, ita ſibi vitæ leges dicit, eo pertinacius, quo licentia ſuique
opinio

opinio fortior eſt. Sæpius & Proceres turbant, factionum, opum aut clientelarum fiduciâ, vel potentiæ vicinæ occaſione in ambitionem, præſens mortalibus exitium, prolapſi. Sic ingentis ſpei conſilia in belli aut ſeditionis oportunitatem dilata perniciofiſſimè erupiſſe ſcimus. Taceo adulationes, familiariſſimam Magnæ fortunæ peſtem, Amicorum fallacias, vindictæ, ſi qui læſi, cupiditatem, Avaros & infidos intimorum animos; Quibus præmio corruptis leve eſt, conſilia principum aperire hoſtibus; Ita omnia proſtant muneribus, Fides, juramenta, pietas. Accedunt ſicæ, venena, veneficia, nullis quam Principibus

bus infeſtiora. Atq; propterea Tyranni etiam, quorum alias vis ex perditis rebus & hominibus eſt, paulatim periculo ceſſere. Adeo curis & turbis Imperium infame. Nam nec conſcientia ſemper tutos præſtat, ſtatu per fraudes ſubverſo. Et impietas malæq; artes majoris Regni juſticiam, neglectæq; Nemeſin honeſtatis merito formidavere. Vulgi deniq; potius, quam bonorum favor male rebus humanis conſuluit. Ancipiti itaq; cum obſepta ſit malo Principum vita, mirum nemini eſſe poteſt, cur ſibi potius Quieti, quam alijs præſentiſſimæ ingratitudini & faſtidio obnoxij, vivere præoptent.

CAP. XI.

CAP. XI.

Perſequitur provectioris Veris occupationes, varium Prædiorum ſitum, Pecudum conſociationes temporumq; licentiam notat.

SEd amænissimus omnium, Menſis à Maja Mercurij Matre nomen habet, omnigena florum varietate frondiumq; virore formoſus. Tota tum ridet natura, læti Ruri dies, feſta loca, frequensq; hoſpitalitas. Ut ex aulis urbibusq; plurimi captatâ temporis pulchritudine negotiorum tædia diſcutere geſtiant.

Lautiorum pars non modico ſumptu Prædia Ruri colunt, ut tranquillos ſecuræ quandoq; relaxationis ſeceſſus habeant. Memini me in ſuburbijs clariorum civitatum, vel ſicubi Vicinia Ruris amænitate oportuna eſt, Prædia cultiſſima facie vidiſſe: Quædam in ſylvæ confinio, amæniſſimam tenent plagam, lacu è Nemoris receſſu latus alluente, frondoſis Inſulis ſpecioſo. Quædam fluvijs adjacent; Montibus collibusq; quædam affixa, quaſi de ſpecula ſubjecti campi varietatem circumſpectant. Sæpe medio in Nemore villas invenias, quà ſpatium arvis, paſcuisq; uber eſt. Illic ſtagna, frigidiq; fontes & crebra ferarum luſtra.

Fundit ſuſpenſæ rupis antrum ſcatebras, ambientium arborum frondibus lætas, opaca ſubeuntibus â venatu receptacula. Sed nobiliores ſumptuoſis Palatijs aptiſſima quæq; loca exornant ingenti Ruris cum honore artifici venuſtate ſtructis: Porticus teſſellato opere ſternuntur, columnæ ſignis ſtatuisq; illuſtrantur, cæruleo fornice, aureis ſtellulis, cœlum referente. Magnifica Triclinia ventis pervia ſunt, ſæpe arte meantibus. Tabularum pretioſæ picturæ. Umbellis umbroſa cubicula, obtenſarum arborum torrentiumq; ſuſurro ſomno apta. Balnearia ſalubria, cellaria frigida Nymphæa ſupra Bajas amænæ. Non Meniana

deſunt.

desunt. Tectum solario planum, pergulisq; erectum Hypetrij instar liberiori aeri prospectuique circùm patet, disco, latrunculis, alijsq; ludis in fastidia instructum. Horti verò arte insignes, compitis implexorum palmitum comis decorè frondentibus. Fontes hirsutæ arbusculis cavernæ tegunt. Illic vivaria capreis, cervis, aut apris læta, Cortes phasianorum, caveæq; ingentes volucrum frequentes; Neossotrophia, stagna piscibus alieni littoris spectata: Illic nemora secretis recessibus devia, amnibus manantia cum Dianæ lavacro certantibus aut, in quo Bethsabæa æstum vitavit. Pavones albi & ex aureo florentes atria obe-

obeunt, tum & Numidicæ guttatæ; Pſittaci varij coloris de periſtylo familiam ſalutant. Ibidem Simij & Cercopitheci, & quæ diſſitus orbis alia mittit. Villa contigua, quam de Palatij atrijs facilis proſpectus arbitratur, Angliæ gregibus, aut armentis Helveticis Batavisq́; fœcunda eſt, caſeis ſapidis Parmenſesq; ſuperantibus locuples, Natalis equabus etiam fætura ſuperbiente; Rara multa & fructu jucunda, omnia ad Ruris privilegium facta. Hic convivia agitare juvat vocatis amicis, nunc in hortis, nunc ſylvis morantem frangere diem; Interdū lembo diſcurrere per herboſos rivos, aut lepores venari

aucu-

aucupiove delectari, & proprio labore quæſitis prædis menſam ornare. Non dubitem Agricolas tam manifeſtâ Magnatum lætitia ac pene æmulatione ſuam demum felicitatem æſtimare, cui effuſius præcipitis menſis ferijs profeſſæ, ſe ultrò ſociant. Namq; diebus ſpiritui ſancto ſacris largius convictibus indulgent Agreſtes, & defunctis ſacris ſolitam alacritatem, remiſſioribus ſtudijs impendunt cantu curſu jacu lis tempeſtivè exerciti, Jam priſcis ſeculis familiari lætitia, quibus hoc menſe Majumæ ſacris vacare ſolenne, ſervatâ tamen, ex Arcadij & Honorij AA.rum reſcripto, honeſtate & verecundiâ caſtis moribus perſeverante.

Hoc quoq; mense pabuli lætitia animantibus voluptati est. Nullo tempore alacrius pecus sub auroram in pascua procedit, aut per prata & convalles mixta gregibus armenta suavius oberrant, vel discretis etiam turmis ambulationes sequuntur. Placent prata gemmantia rore, floridi frutices & graminis uber saltus. Æstum diei gliscentis mitigat umbris incubans arbor, rivuliq; molliore solo solutis stagnantes undis floribusq; picti. Agminum discrimina culta dumetaq; pascentium Quadrupedum mirificè hoc studio provectum oblectant, & non raro moderatiores aspectu vel meditatione tantæ securitatis, ab affectu-

um intemperie, sequiorisq; casus memoria prohibuere.

Cæterum & provectiori vere domesticis pecudibus naturalia desideria ferme congruere comperiuntur. Pabuli ubertas, genialisq; Serenitas lasciviam pruriencium facile accendit. Maremq; tum sponte sua fœminæ patiuntur in Quintilem, ampliusq; studio generis protracto. Quindecim autem vaccis unum marem periti destinant, eq; supervenientis Juvencã descensu satum sexum dextro marem, sinistro fœminam colligunt. At si non admittat ultra Taurum sorda demum concepisse creditur. Quanquam & plenas fætu marem appetere Columella au-

torſit, ut & in brutis blandæ voluptatum illecebræ plurimum polleant. Sed ab ineuntis ſtatim veris vigore, niſi qua cœli obſtet ſeveritas, ſylveſtria, quibus major libertas, medullis æſtuantem ignem fatentur â Creatoris placito pendentem, quo creſcere & multiplicari animantes juſſæ ſuper terram. Et lepores Martio ſepè Menſe fœtus edunt, celebrata fœcunditate tempeſtive conceptos, quo eodem Menſe & Volucres ſoboli ſtudent. Obtigiſſe recordor, cum ſeneſcente Martio per venatum adnata torrenti fruteta excuterem, ut nunc perdicum par arbuſtis erumpere, nunc palumbem cum

compare aut turturem in Quercu gemere deprehenderim, fœturæ desiderio sub auroram exultantem societatem. Verum circiter Æquinoctium Attagenes naturali stimulo anguntur: Maris tum voce convocatæ fæminæ, per sata arva prurientem cirnæ, per sata arva prurientem circumeunt, fætus desiderium expleturæ. Multa ibi voluptas Aucupibus, ê vicinis latebris gestum lascivientium observantibus stupidasq; libidine ferientibus, tormento. Per idem tempus Equabus generosioribus mares jungi ê re est; Ut lætis & herbidis campis, eodem tempore quo conceperint, post annum partum educent. Alias removendi à fœminis Admissarij ne ad libi-

libitum ineant aut aspectu vires perdant. Vulgares equæ, cum maribus promiscue committuntur. At Majo mense Urogalli demum suetâ cupidine ardent, summis tum arborum fastigijs insidens, tanto ardore venere præcipitat Gallus, ut omni sensuum ministerio destitutus, continuâ raucâq; voce gallinas cieat; Vixq; ullo alias tempore à Venatore occidi posset perspicax avis, nisi immodicâ libidine cæcaretur.

Notabile autem imprimis; Bruta statis duntaxat temporibus modica venere fœtui vix libidini vacare, & in luxuriem fluentis seculi, tantæ severitati obnoxiam turpitudinem, infami

ſcelere divinæ auræ particulam temerare, ſalutem infandæ voluptatis momento periclitatem. Perditis quippe moribus adeò vis mali efferbuit, ut nec Julia lege nec durioribus etiam ſupplicijs incidi poſſit. Major imperio eſt efferata impunitate licentia, continuatis exemplis infamiam noxis exprobrans, non niſi pœnitentia aut publica calamitate & duraturis ignibus expiandam.

CAP. XII.

Laus veris; de Apum mellificio & Monarchia.

PORRO vernam ego amænitatem Mundi ipſius primordia referre crediderim, pari ſub ortum

tum voluptate formoſaq; rerum fæcunditate exultantis, perennaturis delicijs, ſi hominum modeſtia intra obſequium ſtetiſſet, nec ſuperbiâ felicitatem excuſſiſſet. Quanquam plurimis indifferens ſit Quæſitum indecisâ difficultate; Vernaline Æquinoctio, an Autumnali natura rerum ceperit? Utrisq; placitorum fundamenta ſunt, niſi quod potior fides Veri accedit. Omnia tum quippè creata recreantur; Nemora fronde tellus herbis revireſcit, animata fœtu propagantur, feræ luſtris, ſerpentes vermiculiq; è latebris prodeunt. Ut jure Mundus ea anni parte natus cenſendus ſit, qua rejuveneſcente natura renaſcitur, integratis viribus innocentiæq;

imagini læticia prisca se spectatius etiam credente.

Sed florum copia, mellificio utilis, Apum quoq; nunc studia alit, ingentis animi animalculorum dulcissimiq; fructus artificum. Sedes autem apibus lætissimas Agricolæ in brumalem meridiem obversas assignant, quæ temperati caloris, procul turbis & ab hominum pecudumq; cœtu quietæ. Ubi ingentes arbores opacis frondibus tempestate à pastu abactas hospitio excipiant, aut ab æstu defendant. Consitæ quoq; circa apiarium incrementi parvi arbusculæ, ut cythisi rorisq; marini, thymi, itemq; violarum, aliæque salutares herbæ plurimum api-

apibus melliq; conferunt. Dein perennis aqua locum reficiat aut canalibus inducta; Cui injecti lapides virgæq; pontes, quibus conſiſtere queāt apes, præbeant. Sine aqua enim neç mella nec fætus figurari queunt. Tetro deniq; odore locus vacet, nec fumus infeſtet alvearia aut paluſtre cænum aërem miſceat, ut dulcedo plagæ magis teneat apes, & nova etiam examina domicilia allectent. Ita demum ſperata ſuccedent, rapietq; Patremfamilias ſupra mortalitatis captum ſolertia, cum cellularum diſpoſitionem, munia laborantium, ordinemq; operis cognoſcet: Nam & tempeſtates, antequam evolet familia, orto die explo-

rant, hinc in campos se effundunt facto agmine si cœlum faveat, & hærentem floribus rorem jam sole laboratum bibunt; Ad portam aliæ alvei venientum onus accipiunt, aliæ per favos & ceras digerunt. At si ventus vel imber ingruat tempestivè se recipiunt, ut prudentiam notes: Quæ admiranda est, si vitæ societatem spectes veri Regiminis forma perfectam. Solæ quippè apes Regem colunt; Vera illis imperij & obsequij vicissitudo. Rex formâ & corpore reliquis major medioq; cubili sublimis dat jura populo, belli, pacisq; arbiter, & nullis alijs quam publicæ salutis curis gravis; reliquis parendi gloria cum labore reli-
cta.

cta. Regem totus populus soli-us majestatis intuitu veretur, sa-tellitio stipat & inermem defen-dit, secus quam perduellium mos est, defensores omnium pri-mò opprimentium; Deinde lu-sus Examinum, deductio colo-niarum, migrationes, & cum du-os Reges incessit discordia, cer-tamina, propè miraculis naturæ accensenda. Quibus motos viros Illustrissimos vitreis alveis inclusa Examina prospectui op-posuisse persuademur, ut operũ arbitri discerent sedulitatem & manifesto tantarum rerum spe-ctaculo fruerentur.

Equidem Creatorem Rerum absq; ipsi⁹ exemplo foret, Apum socie-

ſocietate Monarchiæ excellentiã commendaſſe reor, naturali ſimulacro doctorum: Non poſſe ſecure vivi, niſi promiſcua multitudo eminentioris auctoritate regatur. Ut ſenſuum diſcordia in capite jungitur, & quod in corpore vagum brutumq; eſt, â ratione legem accipit. Interim reliquis Rerumpublicarũ formis ſui regiminis gloria non deeſt: Spartana apud Græcos, Athenarumq; floruere, & Venetorum hactenus, Helvetiorum, pluresq; in oculis ſunt. Nempe Nationum morumq; diſcrimina accommodata ſemper imperia poſcere; qui quo mitiores, hoc civiliora amplectuntur. Dein non humanæ tantum prudentiæ publi-

publicos objacere ſtatus, temporum diſciplinæq; vitio ſuas pati vices fatemur; Nunc unius, nunc plurium poteſtati ſubjici, donec, ut humanum corpus, diverſis motibus agitatos, fatalis periodus excipiat, ut in re abſtruſâ temerè intercedere non vacet. At ſi qui hoc ſeculo ſtatus in voto ſit, ex omnibus Principatum prætulerim. Cum quod hominum mores longius â bono abſceſſerint, tum quod crebrius ſub reliquis ſtatibus impunitas in publica vitia concedat, quam in unius regimine fieri conſuevit. Et niſi ultro ſe rerum facies ad ſtatum compoſuerit, ipſeq; Nationis Genius ſuſtentaverit regimen, vix vigor perennabit.

Facti-

Factiones, novitatis impotentiæq; vitia, in coactis Rerumpublicarum formis omnia invertunt, quæ efferata libertate ambitio fovet, perniciemq; præcipitat. Hanc Roma sinceriore ævo fortunam non evasit, sub patribus modo, modo sub tribunis laborans. Quot illic secessiones, quot mutationes? Cum ducentis amplius annis sub Regibus inconcussa stetisset. Nunc seditio viscera quatit, nunc invidia, tyrannis, imperij cupiditas anxios invadit, nec unquam in securo incolumitas.

At proinde licita illicita accersuntur, periclitanti libertati subventura: Nunc discordia populorum, nunc favor cum famæ & sum-

ſumptuum ſæpè diſpendio alenda. Ergo perpetuus metus incertis incumbit inſtabile præſidium. Quo ſublato ſuis ipſa vitijs ſocietas diſſilit ſalute, alienis fundamentis ſubnixâ.

CAP. XIII.

Veris oblectationes abſolvit, Ruris ſecuritatem, Patrisfamilias recreationes & vitæ conjugalis ſuavitatem allegans.

PRomiſcua amænitas Cultorē vere relaxat, nunc vitæ neceſſitatibus ſtudentē, mox remiſſioribus

ribus jucundum, Hæc inter non video, cui Homo ruinæ pateat. Non libertati ille, non Regnis imminet, capreis tantum leporivè innoxio desiderio infestus; Procul rebus, quibus superbi quatiuntur. Tota die patentis campi aspectus, infanda voluptate laborantem perfundit: Cum meridies rura accendit, umbram patula comis arbor, torum cespes in floridi rivi margine præbet. Hic in suavissimi pecoris consortio secure quiescit, non sicam metuens, aut medicata stragula; Non venena aureis poculis propinata, fonte sitim levante. Armenta interea viridi in ulva ad stagna matutina ruminant pabula, frondes auris agita-

tæ sibi-

ſibilant, undæ grato ſtrepitu ſucurrant, aviculæ cantant, piſcſculi ſaliunt.

Haſce ut delicias Poetæ referrent, rem amænitate fabularum miſcuere: Nunc Dianam cum virginum choro, aut Cephali cum Aurora venatum, Nympharumve cum Paſtoribus luſus inducentes; Min⁹ ſe dicere rati, niſi Deorum commercio Ruris gloriam extuliſſent. Dein prandentibus non aptior locus, quam quæ armenta gregesq; tegunt umbracula. Hic creaturarum arbiter & Dominus Homo Regum præcurrit vitam, cui Siculas dapes dubio procul Damocles non præferret.

Cæterum dum in campis Ruſtican-

ſticantium induſtriâ rem quærit Paterfamilias, laborum fortunæq; ſocia uxor, interea Villam curat, & dulces liberos, domeſtiſticis negotijs familiam exercens. Ipſa exemplo prævenit, matronali ſedulitate virili diligentiæ æmula, remq; familiarem, mariti aſſiduitate partam, tueri & ampliorem melioremq; reddere laborat. Sub Domini autem adventum, inemptam cænam muneribus Ruris lætam parat, domeſtica ratione exactè ſubductâ. Proniore die, veſpertinoq; gelu ſuaviore, felix Agricola diurnis ſolutis officijs, Villam cum familia petit, vires cænâ refecturus. Menſa ſub luteo cœlo ſalubri frugalitate ſtruitur, ſinum puri

lactis,

lactis, pullos, pernam, caseos, lactucasq; ministrans. Vitis instar fertilibus diffusæ pampinis pudica uxor Marito adhæret, dulcissimiq; nati ceu novellæ olivarum circuitum beatæ mensæ cingunt. Honestissimus amor, pura suavitas, reverentia summa cum concordiâ mista, deniq; illibata felicitas totâ domo refulgent.

Enimverò tantum ad rei familiaris opem & honesta gaudia potest, ut beatum eminentissimus sapientiæ Syracides dixerit Virum, cui Uxor obtigit pudica. Nobile nempè donum pioque datum. Uxor laboriosa, unica Mariti voluptas est, suavisque & placidæ vitæ artifex, dies

pro-

proficientis prorogat. Formosa uxor virum recreat, cui si probitas affabilitasq; accedat, nemo viri felicitatem æquat; seu fortunâ exuberet, seu prematur solatio abundat, Uxoris prudentia erectus. Sane velut sol aureus in excelsis cœli, uxor honesta decus est suæ domus, dignitate eminens, & facis instar carissimis pignoribus familiæq; prælucens. Ut templum quoddam piæ disciplinæ beata domus haberi possit, precibus, hymnis, & omni virtute spectata.

At pecus distentum, cum astris jam prospectantibus ad villam & nota se recipit cubilia, Rusticiq; boves versum vomerem collo trahunt, & equæ plaustra,

Inter Uxoris natorumq; amorem diviſum Patremfamilias, infando gaudio complent. Vaccæ plenis uberibus mulctralia expectant, hædi capellæq; frondibus inſultant; Anſeres cum anatibꝰ per paludes ultro citroq; commeant; Ruſticantes focum cingunt. Villici armenta & greges curant, lacticinia villica, fideli opera officia exſequuti. unde caſeo villa abundat & butyro. Quis vanitatum, quas Mundus amat, hæc inter non obliviſcatur? Quod ſi Auceps volucrum opima cum præda redeat, & piſcator piſcium, aut ſalutator Ruſticus, Qualis Bajanæ Fauſtini Villæ accola, Auſoniive Heredioli & Paulini; Ubi ſuſpenſas viſcatis

virgis

virgis ficedulas, credula agmina pueri ſub noctem inferebant; Non orbis cum faſtigio, has Ruris ego delicias permutem.

Cum noviſſimè nox Animantia per luſtra & ſtabula ſopore componit, Agricola ſecuræ ſe credit quieti. Villa vigilibus tuta moloſſis, ſed Ruris felicitate tutior, ſomnos ſubdit dulces, quos aperti aëris tenerum juvat frigus, nemorum fragor & torrentium murmur. Dumq; alios ambitio, avaritia, aut invidia diſfert, Agricola Creatoris memor, in operum oblectatione obdormiſcit. Nullo crudelitatis libidinisq; metu lex Domini & naturæ viget, cujus ſecuritate de nocte Mortalis quieſcat, & mane exeat

ad o-

ad opus ſuum usq; ad veſperam. Mox die rubeſcente, non claſſico, non tumultu, aut irruptoribus, ſed Gallorum expergefactus cantu & plauſu reliquæ cortis, cœlum tot ſtellis ſerenum aſpicit, & pòſt collium juga orientem auroram. Luſcinia ſuaviſſimo gutture antelucana rumpit ſilentia. Inſequitur concentus volucrum aliarum, ad ſolis ortum exultantium. Nulla hic curis triſtitiæve occaſio; Naturæ amænitas, conſcientiæ tranquillitas & in Deum pietas omnē anxietatem excedunt: Hinc primâ luce interruptum iterant laborem, aut nundinali die vicina adeunt oppida, huc caſeos, & ova portãt calathis, aut agnũ & pullos

vehunt,

vehunt, ſuperfluis, felices unde quæſtu cenſum honeſtè cumulare licet.

Cap. XIV.

De æſtivis occupationibus, ovium curâ & tonſura, ubi de Mercaturâ. Laus pecuariæ, Gregum præſertim.

NUnc procedente oratione, Æſtatis commoda perſequar, quæ Aſtronomicâ diſtributione veris amænitati ſuccedit, cum ſol Cancrum junctaq; duo ſigna pervagatur. Propior tum calor fructus coquit, & ſeges totis campis flaveſcit. Fætus arborei

borei lætius gliscunt aspectuque pulcherrimi odorem spirant. At immani vapore effervescit Annus, ut ægritudini propinquus languor animantes invadat. Prospexit tamen natura creaturis ne æstu fatiscerent, memorabili indulgentiâ ad salutem proclivis. Nam & dulcissimas Nemorum umbras, fontes, rorem & auras ardori opposuit, Hominem etiam benignius juvit; Cui fraga, ubi Idæi baccas, post ribes & uvas ursinas, mox cerasa subministravit. Melones præterea, aurea, cytria, punicaq; mala salubérrima languentibus æstu inveniuntur; Hinc succi fiunt refrigerio nobiles, quibus sueta incendij æstivi fastidia mitigantur.

Cæterum ſi quem lapſi Menſes laborem hoc in tempus verterint, oportunus agricolis venit. Nam nec ad Novalium culturam, ad pampinationes, paſtinationes & foſſiones ſunt otia, antequam Meſſi agreſtibus officijs proſpectum. Inprimis autem ovilli gregis cura Patremfamilias oblectat, mox fructus inde divitiasq; percepturum. Quo accuratius diſponit, ut & primò lucifero paſuis immiſſus grex ſpirantes auras & roſcida carpat pabula vellerisq; incrementum & candorem cœleſti humore trahat; Deinde ut incaleſcente meridie vallem occupet, quercetove lætũ nemus cuſtodes frigidisq; recreent inſternis; Ne intempe-

rie correptum pecus valetudinis noxam incurrat. Tenerrimæ enim oves cauteq; habendæ. Nam & occidentem ut spectent per æstum ante meridiem, post meridiem in orientem aguntur, nec lætis nimium pascuis aut sylvestri palustriq; loco pascuntur, vel quem vepres velleriq; inimici tribuli obsedere; Jucundissimæ gregi herbæ sunt novali aratroq; procissis arvis natæ. Quanquam adeò tenera blandaq; vix invenias pabula, quorum gratia longo usu non exolescat, nisi præbito sale fastidijs pecudum Pastor occurrat; Quod, Columellâ suadente, velut ad pabuli condimentum per æstatem ligneis canalibus ovibus à pastu

redeuntibus imponendum, ut lambentibus bibendi paſcendiq; cupidinē acuat. Præterea ſtabulorum munimenta medio diei oppoſita, ita comparata ſint, ut tam ab æſtu quam frigore, uti etiam uligine pecus tueri poſſint, quorum impatientiſſimum deprehenditur. Hinc ariditſſima filice culmisq; ſemper ſtabula conſternenda & ne humor ſubſiſtat cavendum. Tam pertinax ſtudium cui lanicium curæ eſt, Paſtori incumbit.

Primævæ mortalitatis Patrum familias ut Agriculturâ Pecuariâque res familiaris conſtabat, ita ovibus præ cæteris ſtuduere, ni ſi quæ de armentis aratro aptabant; Cui ſententiæ præter ſa-

cras literas, profanos quoq; accessisse ex Varrone discimus. Primò enim ipsa mansuetudine domantibus obnoxium pecus, mox lacte & lana cibi velaminumq; indigis placuit, quibus principio frugalitatis simplicitati suffecit. Hinc Nomades, Getæ aliæq; gentes plures vixere Galactopotæ ob id dictæ. Provectior post solertia utrisq; pretium fecit. Nunc casei lactisq; abundantia, non solum Agrestes saturat, sed Elegantium etiam mensas jucundis & numerosis dapibus exornare cepit. At velleri jam olim magna cura impensa; Ut & vino oleoq; in succare; detergere, diducere Romanos non piguerit, quo cultius proveniret

antequam ovibus demeretur. Et præſtantiſſimis ſemper mercibus lanæ accenſeri, quod univerſum fermè genus humanum ab aëris injurià tucantur. Ex quo innocentiſſimum hoc commercij genus, divitias ſuppeditare creditum, ſine animi temeratione acquiſitas, optimoq; cuique convenientes; Qualibus ſi negociatores ſtuderent, ad priſtinum procul dubio decus Mercatura recideret, quæ nunc circumventorum vitio, impoſturisquè laborat; Quibus avaritia, luxus & ſuperbia & demum flebile Juliæ legis refugium honeſtiſſimá vitæ functionem inquinarunt.

At Junius Menſis tonſuræ vulgo ovium dedicatus eſt.

Nam & copiosissima modo vellera, & minus exutum lanis pecus frigus offendit, spacium habens ut vestiri possit antequam properantis hyemis rigor assèquatur. Temperatioribus locis bis in Anno, vernò nimirum & Autumnali tempore oves tonderi constat; Et molissima hoc modò tenerrimaq; reddita lana plus pretij habet. Antiquiorem tonsurâ vulsuram lanæ nonnulli statuunt, vellerisq; indè vocabulum deducant; Nunc tonsura vulgo in usu est. Sed fluvijs mergere gregem ex usu est, sudoremque & sordes oberrantium crebro eluere fonte, quod & sanitati, hoc in æstu & lanæ puritati conducit. Verum

tonsuræ locus convenit, quà ingentium arborum umbracula alluentes lac⁹ aut rivos opacant. Nam & lavari ibidem lotæq; cratibus claudi, & paulatim promi ad tonsuram, demptiq; forfice flocci denuo purgati undis queunt; Et gratior labor est, quem ipsa loci amœnitas invitat. Priscos hanc oblectationem non defugisse solemnitas argumento est, qua tonsuram obierunt. Et è sacris hoc notum: Judas Israelis filius amicos ad tonsuram gregis in Villam Thamnan adducebat; Nabalem in cultissimo Montis Carmeli Heredio eadem jucunditas in regium penè luxum provehebat, Absolon non minoris apparatus convictu tonsuræ tem-

tempore Fratres excepit. Sic unanimi more hæc contubernia orbem pervasere, propioribꝰ quoque seculis læticiâ, qua celebrantur, preseverante.

Sane ovilli pecoris rationem primam Magnis Viris utilitatis, magnitudine censeri video, nec dignitate antiquis minorem extitisse apud quos Illustrissimus quisq; Pastor erat, quibus Romulum & Remum Marcus Varro annumerare non veretur, Et ovium æstimatio vel inde liquet, quod antiquissimum æs ex pecore conflatum, pecore fuerit notatum. Deinde aries inter celeberrima sidera relatus; & Illustres Romani Ovilij dicti. Qui honos serius alijs pecudibus ob-

tigit, cum Porcij Caprilij, Vituli & Taurij indè cognomina obtinuere. Sed & à condito statim Orbe Principes Viri ovium cura claruere: Abel opilio fuit; Abrahamus ditissimus gregũ, Job⁹ simili opulẽtia celebratus; Jacob, Avunculi rem, ovium copiâ auxit, Ipse quoq; abundantissimus pecoris. Cujus posteri honestissimum hoc vitæ genus Pharaoni Ægyptio professi, pecuariæ ejusdem propositi fuere. Moyses â Soceri gregibus Dux Israelis electus; Saul & David ex eadem vitæ conditione ad ejusdem populi regimen evecti Pastorum collegia Regum seminario nobilitarunt.

Porro & Caprarum amor reditibus confert, unde & voluptas

ptas Prædij augetur. Nempè ne locus amæni Ruris vacaret, id genus natura in loca confraga aſpera, longiuſquè â cultu ſummovit. Nam dumeta & ſylveſtria præ campis amat nullis vepretis, rubis aut arbuſculis offenſum.

His venationis quadam imagine inerrare voluptas eſt, cum curſu contendit & ſaltu adverſisque inter ſe cornibus colluctatur. Sed & uſus inſignis; E pilis enim panos texi undulatos ſeu Cymatiles in Cilicia alijsq; locis, ubi intentiores & ad terram pendul i ſericoq; æmuli villi â Caprarijs depectuntur, magnis autoribus conſtat. Romanos autẽ olim pro ſtragulis hædinis pellibꝰ uti, frugali-

frugalium morum sectatione non piguit. Deinde caprarum lac cibum præbet saluberrimum leni præsertim salis sapore conditum; Quod herbis â Matribus familias mistum in ejus naturam transit. Ex lactis cremore caseus conficitur; Quem agni vel hædi coagulo cogi gnari rerum domesticarum docent. Quanquam & agrestis cardui flore seminibusq; gneti, ut & ficulneo lacte quo saucius cortex stillat solidari Columella Autor sit, ficiq; ramulis glaciatum jucundissime sapere. Ex quo apud Divæ Rumiæ Sacellum ficum satam à Pastoribus Varro tradit. Eò autem melior habetur quo minus medicaminis sensit. Fiscellis

lis deniq; Calathisve liquor compressus sudat, caseusq; formam induit. Quod remanet serum, æstuantem refrigerare sanguinem, Epatisq; & lienis obsessos aperire meatus felici successu compertum. Hisce alimentis Ruri pubes enutrita, in robur adolescit constantius, quam quos deliciæ ad imbecillem senectam transmittunt. Adeò mortalitatis solicita natura frugalitati prospexit, parco ac parabili victu desideriis suis defungi volens.

CAP. XV.

CAP. XV.

De Fœnisicio & junctis oblectationibus, ubi de fragilitate Vitæ. Mox Agriculturæ dignitate.

QUintilis, Julij postea Cæsaris honori sacratus Mensis, fœnisicio hybernis pecudum consulit, unde & apud Germanos nomen habet. Commodissimum tempus quo æstatis ardori gramen præripiatur, ne arescat. Sic demessum largius percipitur fænum, & jucundiore cibo pecudibus arridet. Cæterum ingens pratorum usus, cui pecuaria curæ sunt, quibus Romani veteres primas in agricolatione

tione tribuerunt nomenq; quod ſtatim eſſent parata indiderunt. Induſtriæ enim magis quam laboris pratorum eſt cultus: Tantum ne luxuries ſpinis, virgultis & juncis alijsq; validioris incrementi herbis permittatur; Quorum autumno alia vere evellenda. Præterea ne unquam ſuibus roſtro ceſpiti nocivis, ſed nec armentis prata concedantur, niſi cum ſicciſſimum ſolum eſt; Nam udo demerſæ ungulæ ſciſſis radicibus incrementa herbarum prohibent. Macriora loca ingeſto ſtercore juvantur, Muſco ſituq; longâ deſidiâ obducta, ſparſo cinere renovantur, vel ſi pigriora remedia reſpuunt,

aratro

aratro reſtituuntur. Inprimis autem ſaxis temerè jacentibus, alijsq; impedimentis, quibus falx impingi poſſet, antequam metuntur, purganda. Succiſa gramina modicè ſiccanda, ne & perareſcant omni ſucco defecta, nec viridia omnino colligenda, quæ in tabulatis, cum incendij ſæpè periculo, cum concaluerint, putreſcunt. Itaq; furcillis primò verſandum, mox in metas digerendum fœnum, in anguſtos vertices tenuatas, ut ſi imber oppreſſerit defluat humor, & ſuperior ſtatim pars ſole ſiccari, reliquaq; converti poſſit. Hinc quanto ocius amplis vehibus ſub tecta comportatur, quibꝰ ſi condatur jucundius fieri pabulum

bulum, quamſi ſub dio in acervis ſubſiſtat, Veteres jam compererẽ. Apud priſcos Romanos duplici cura prata tractabantur, falcibus primo temere ſubciſã, poſt, quod tuberoſum in campis ſubſtiterat, majore diligentia demetebatur; quod Sicilire dicebantũ.

Amæna ruſticatio patentibus campis, prægnantiſſimâ naturâ, expedita remiſſiore etiam ſæpius oblectatione temperatã. Nam & venatus Aucupiumq; juvat, antequam matutino rore madentes campi tractari poſſint. Incaleſcente Meridie amnium ſectari refrigeria poſitasq; piſcibus naſſas explorare otia permittunt; Trutas, lucios, fundulos, mul-

mullos, coercitus arundinibus rivus, qua alveus coit; Cyprinos latus torrens, qua partem reſtagnantes inter ulvas ſolutior ripa abſtraxit, ſuppeditat. Confectos æſtu deſpiciens prata Nemus tegit, perennium aquarum fontibus amænum; Cum canicula orti Etheſij ſuaviſſimè ſpirant, frondibusq; tecta ſpacia perflant, & gratiſſima meridiantibus umbracula parant. Delectat quieſcentes objecti Ruris facies omni ſegetum varietate ridentis; Hic flaventibus per jugera, alibi diſparatis ſpacijs rubentibus aut virentibus ſatis. Sed & fragilitatis ſe pariter humanæ imago ingerit, ab ipſo Dei ſpiritu allegata:

gata: Omnem carnem fænum, & omnem ejus gloriam instar esse floris agri aut graminis, crepusculo orientis diei vigentis, mox flavescentis demessi, & circa vesperam clibano consumpti.

Ita rusticantibus semper fugacium rerum conditio obvia est in naturæ oblectationibus monens vicissitudinis humanæ, cujns mira in prosperis oblivio est.

Præcipiti propemodum Julio Messis imminet, cui omnis labor per annum impensus, quem violatam creatoris legem secuta sterilitas, statim cum nova cœli benignitate poposcit. Ut ipsa antiquitate Agricultura excellant, com-

munis meritò omnium ordinum nutrix, pacis delicium, vitæq; vita ex ea haberi cæpta. Olim quas nondum telluris cultus exercebat gentes, ſparſas & pecudum ritu palantes reſudantis arboris ſuccus recreabat, vulſisq; vulgo radicibus, otioſa plebes paſcebatur, aut baccas, pomaq; ſylveſtria & glandes carpebat pecudum pene paſtu contenta. Simplex vivendi ratio ſi cultioris ævi felicitas opponatur, quo operum læta mortalitas ſuas ipſa meſſes miratur voti ſatietate expleta. Sed tempeſtivè Nobiliſſimi quiq; populi agris ſtuduere, ſanius rati exactâ feritate, quæ priſci victus patientiam comitabatur, ad cultiora deflectere &

labo

labore potius quam otio humanitatem profiteri. Unde prudentiores ipsi tellurisq; facies formosior reddebatur, nihilq; innocentius Agricultura meliusvè crudæ antiquorum Vitæ successisse visum. Adeò ut Prisci Romani Virum bonum, Teste Catone, amplissimè laudari existimarent, cum bonum Agricolam bonumq; colonum dicerent. Hinc tot illustria apud hunc populum magnarum familiarum cognomenta; Et Pisonum, Serranorum, Fabiorum verenda nomina è perseverantissimo colendorum Agrorum studio emersêre, Deosq; in Latio Terraq; Saturnia Agrorum cultus progeniem suam docuisse in glo-
riam

riam tractum. Parem reliquæ Gentes laudem quæsivere: Siculi Cererem; Osirim Ægyptij, Græci Triptolemum unci puerum monstratorem aratri Agriculturæ magistros habuere. Hispanos Habis primò aratro boves domare frumentaque sulco quærere docuit, & ex agresti cibo mitiora eligere coegit. Ita gentiles in superstitionis suæ caligine ad Numen hoc studium retulere, quodq; aliunde quam â Deo nobile adeò munus non expectarent, Deorum cultu Autores suspexere. Et notissimâ veritate â Deo primitus Agricultura inducta, Post auctis gentibus in sylvis & solitudinibus barbaries ignaros originis depre-

deprehendit. Qui ſylveſtri victu ætatem traxere, donec miſiores, in quos inciderant, agriculturam revocarent. Hi ex antris, ſaltibus & montanis feroces protraxere, factaq; ſocietate poſt liminiò Agros tractare docuere; Sic paſſim Dimanavit orbemq; pervaſit Agricultura, humani ore victus ratione neceſſitatibus mortalium placatis. Pòſt non uſu tantum; ſed & formoſitate, divinitatisq; quodam ſenſu Ruri conciliabantur Antiqui. Segetum lætitia beati campi opulentia innoxiaq; vita immenſa delectatione detinebant in Autoris Conſervatorisq; providentiam intuitum ſenſum.

CAP. XVI.

Cap. XVI.

De Messe Mellis vindemia & æstivo aucupio.

SUccedit nunc Messium cura, æqualiter flaventibus satis obeunda, ne dispendiosâ cunctatione æstivi sideris vaporibus matura torreantur, Qui vastissimi per Caniculæ ortum sæviunt; Neve avibus præda fiat seges, aut grana tostis lapsa spicis defluant. Nam & culmis turbines procellosiq; nimbi mixtâ obfuere grandine, & ex toto indurata grana incremento, quo tempestivè decisa grandescunt obstitere. In Australibus plagis citius Messis feriæ instituuntur; Trionibus

nibus viciniora decedente Quintili ferme incipiunt. Longo tum usu legumq; placitis fora vacare & lites jussæ quiescere. Divus Marcus noluit circa rem rusticam occupatos, cum Messis vindemiæq; sunt, in forum compelli. D. Trajanus spicam fœnumvè cæsum, uvam ademptam, excussàm oleam, Vindemiam coactam à forensibus negotijs vacationem dare rescripsit. Sed ante invectam Messem, cerasa matura decerpuntur, & sacculis indita in alveis subiguntur, succo inde manibus prælove expresso, qui igne lentescit paulatim, gratum cibis condimentum præbiturus. Parte cerasorum cum ossibus contusâ vinum Ma-

tres familiâs medicantur, vel expressis carnibus super infusa aqua loram operariorum potum conficiunt. Tot tantaq; ruris bona sunt, frugalitati parvo beneviventium sufficientia. Messem verò frumentis præcipuè vetustas tribuebat; cujus complura genera Rustici scriptores tradidere: Nam aut falce secundum terram succidebantur stramenta; aut ligneo incurvo bacillo ferrea serrulâ rostrato metebantur, vel comprehensi spicarum manipul medio culmó præcidebantúr; aut pectinibus spica vellebatur. E quibus falx messoria plerisq; Germaniæ Colonis adhuc familiaris, quorum agr

agri robuſtiore ſegete turgeſcunt; Tenuioribus ſtipulis falx longior convenit, qualibus noſtri Maris accolæ ferme utuntur. Sic agris inducti meſſores ſeptis falcibus brevi tempore ingentem campum dejiciunt, & fragiles culmi cancellis falcis innixi ſine noxa longo tractu humi reclinantur. Quos Meſſores ſecutæ Ancillæ, merga congerunt faſciculisq; coercent. Pars hinc inde per agros mergites certâ ſerie erigunt. Cernere eſt caſtrorum ritu tentoria quaſi ſegetum campis ſparſa.

Quæ aliquandiu ſole ſiccantur, poſtmodo in horrea convehuntur. At clamor & jubila ſocios

per

per viciniã exhortantium, & falcium attritarum ſonus, immineñtis noctis ſilentio toto campo ſumma cum Voluptate clangunt.

Cæterum cum vernarum ſegetum maturitas in Autumni ſæpè confinia hiſce locis Meſſem proferat, Nunc favos interea caſtrare convenit, cum plena alvearia murmur apum & cum fucis diſcordia fatetur. Quippè quos feminum cauſa, quibus conferre judicantur, toleravere, excluſis novis Examinibus, cum populari opus ceperint, expellunt. Hos tamen in totum non tollendos peritiores cenſent; Quod Apes dum illata damna ſarciunt, agiliores ad laborem reddant. Cùm vero

vero mella metunt, matutinum frigus occupant, quod medio æstu exasperatas apes lacessere cum periculo sit. Quod ut magis vitent, galbaneo fumo aut fimi aridi, â posteriore alvearium parte in vestibulum, aculeo infestas compellunt, favosq; eximunt. Partem tamen pro temporis statu pabuliq; ubertate alimentis hyemationive relinquentes. Mox dum tepent demessi favi, mella conficiunt; quæ eliquata per saligneos qualos vel viminea texta in subjectum alveum defluunt, & fictilibus conduntur, apertis tantisper dũ, defervescant. Deinde ex retractatis favorum fragmentis secundæ notæ melle expresso, ce-

ra ignibus liquatur quæ per juncos defusa colatur formisq; infunditur. Sed melli apud omnes semper gentes pretium fuit; Quod Varrone Teste dulcissimum est, & Dijs hominibusq; acceptum. Favus quippe altaribus infertur & melle ordiri finireq; cœnam Romanis in more fuit. Mellis autem colligendi usum vetustissimo Curetum Regi Gargori in Tartesiorum Hispaniæ saltibus; parandarum verò apum curam Aristæo Historici adscripserunt. Utile sane inventum cælestis succi, quo vires roborari hostium insecutione fessus Jonathas didicit. Hinc & potum nectari consimilem parsimonia invenit.
Nam-

Namq; ſylveſtria examina ingentem proventum per Quercetorum ſolitudines borealibus plagis Poſſeſſoribus ſufficiunt. Et mellis ceræq;, ex quo divino cultui conſecratæ ſunt nobiliſſima com̃ercia toto orbe increbuere.

Mox alia oblectatio redit, verno etiam tempore tentata: Quo reticulo ſegete cincta vocem fœminæ vel ſimilis tenoris fiſtulæ ſecutus coturnicum maſculus, laxiores laquei cedentis fauces ingreditur (duplex enim recte eſt) cui impedito regreſſum negant coeuntia fila, fortius luctanti obſtitura. Non levis hæc oblectatio ſed nobilitate præſenti cedens: Cum per demeſſa jugera aut glabreta incedens juvenis in-

marginibus fruteta caricemquè excutit, Nisum manu tenens, prædæ avidum genus. Qui subsistentis Catelli silentio conturnicem vel perdicem adesse sentiens, hinc indè obsessæ fugam circum spectat, quam primum latebris erumpit, tergo hærens rostro cervici injecto. At spacium concedit Auceps dum cerebrum depascatur, clanculum vorantis unguibus carnem ingerens, sic coturnicem lanienæ eripit, suis dapibus quæsitam.

Sed Vernarum segetum Messis operosior, Quæ succisæ lentius, exsudant humores, tractanturq; diligentius, antequam manipulis aptæ fiant. Cui olim usui nubilaria aptata censuerim.

Nunc

Nunc tantiſper furcillis ſoli exponuntur, donec tuto in horrea comportari poſſint. At Hordea humidiore etiam cœlo ſecantur, ne æſtu convulſis ariſtis grana fluant. Adeò quo tempore, quove cœli ſtatu, quidq; faciundum, Agricolarum ſolertiæ paret. Et hi perpetuâ voluptate condiuntur labores; Ut non aptius lætitiæ exemplum diviniſſimo Vati occurrerit, quo populus ſub Meſſiæ adventum ſit exultaturus, quam quo Meſſis claret. Sane volentibus agris proveniens fœnus, ſecuro labore quæſitum, camporum decus, & totius Ruris deliciæ Ruſticantium conſuetudo, Epulæ interdiu & ſub noctem ad ſatietatem illatæ, luſus

honesti & colloquia facile moderatum erigunt, præferenda merito felicitati, quam pericula aut fraudes creant.

CAP. XVII.

De Providentia Divina.

SUbit hìc fateri, vere dictum, dormientibus divitias obvenire Dei benignitate, quæ una ditat, si pietate & industriâ se probet Creatori Mortalis. In vanum enim laborant soliciti, nisi Optimi Patris favor accedat, curas impigrorum prosperantis. Nemo hoc suavius Assertore nostræ felicitatis Maximo CHRISTO JESU docuit; dum in oratione & labore rei familiaris successum reponit, reliquis ut inanibus & super-

vacaneis

vacaneis seclusis. Certe salubribus argumentis animum componit Providissimus Paterfamiliâs, non necessariam morositatem discussurus: Prohibet solicitudines vitæ cibi & potus cupiditate importunas: Prohibet corporis anxietates, velaminum desiderio graves. Longe profectò eminet Vita præ alimentis, & corpus nobilius est vestimentis; Et negaret Vitæ corporique præsidia, Qui utrumq; concessit? Impij est Autorem fateri, conservatorem ignavis curis negare. Parum proficit ociosæ mentis tortura, negotio res perficitur & indulgentissimi Patris benignitate. Deus in utero materno alit Embrionem curis imparem, mox infantē nondum licitis mune-

munerum, non orationi suffici-
entem sustentat; Promptius er-
go functionis defensori, Pioq; ci-
tra curarum improbitatem pro-
spicit. Pudor exigat diffidenti-
am, quæ infra cœli Volatilia pro-
jicit intelligentem Creaturam
volucrumq; potentem. Non
Jacobi in Ægypto cum familia,
non Israelitarum, non Eliæ in
deserto cibatorum; et hujus
mox à Sareptanâ Viduâ paucæ
sed non deficientis farinæ oleiq;
Dominâ famis tempore alti;
Non Samariæ ex tanta obsidio-
nis pertinacia annonæ ubertate
saturatæ; Sed volucrum exem-
plo cæca diffidentiæ pervicaci
castigatur, magnis rationibus vi-
cta. Aviculæ vagum securumq;

vulgu

vulgus, procul victus curis, non ſerunt, non metunt, ſolius Altoris curâ felices. Crepuſculo venientis diei vigil ales, cantu volatuq; munus obit, inter frondes ſaliens & inquietum Corpuſculum exercens, creatorem, cujus opus manuum eſt, ſuavi hoc cultu profitetur; Nec viliſſimum tamen in tantâ ſecuritate fame perire videmus, providentiæ divinæ vi, ſua quærentibus grana, acinos baccas, vermiculos, parata pabula miniſtrantis, quibus ad ſatietatem toto die veſcuntur, donec prodeunte Veſperâ, condito ſubter alas capite juxta nidum quieſcant. Et negotiorum ſtudio acres minore ſpe laborare ſuſtineamus; Patrumve fami-

familias benignissimum pecudes alere, liberos negligere credemus? O ignavos quos turpis adeo metus infamat! Cæterum amictus solicitudinem pubescens annus elidit, formosissimis florum coloribus vestitus, hoc purpureo, illo niveo, croceo aut cæruleo florescente. Sumptuosa hæc otiosorum velamina & plus quam regij ornatus, infra quos Salomonis Majestas, omneque artificij pretium ipsius Christi suffragio reponunrur. At quam labilis, quàm fugacis formæ flores! Mane vigent, exardescente Meridie arent, mox in ignem conjiciendi. Nos verò æternitatis participes, meliori nos prærogativâ gaudere non

dubitemus, victum habentes & amictum è ditissimi Patrisfamiliàs penu. Mortali vitæ prægnans Tellus fruges producit; Huic armenta & Greges pinguescunt; Huic volucres & flores, huic totus annus servit inmmensa Dei bonitate coronatus. Hujus beneficentiæ fiducia erecti, minime ad ventris nos curas abjiciamus, imitati Gentiles, Quos ad Brutorum penè vilitatem gulæ obedientia dimisit. Omnis enim vana est solicitudo, Dei favore deserta! Sed & gnarum conditionis nostræ Patrem habem^{9}, hominumq; bonitatem immensâ promptitudine exsuperantē, Qui nec ipsi, nisi ultra ferarū sœvitiem im̄anes, fœtus aversantur!
Huic

Huic Regius vates tutiſſimum ſuadet, Curam in Dominum jactare, & in eum ſperare. Conſilium pari ardore â Procuratore noſtro ſapientiſſimo in hoc argumento commendatum: DEI primo Regnum juſticiamq; ejusdem quærenda, ſic reliqua omnia facili labore obventura. Digna Horreorum penuariorumq; titulo regula, ſucceſſu ſpem nunquam fruſtratura. Pietas præcipua eſt, reliqua facile laborem ſequuntur, ſed uberius, quam mortalium induſtria meretur. Parum eſt, aſſiduitas Vigilantium niſi Numinis favor accedat, functioni amicus. Non ut in ſinum deſidum conjiciantur bona, ſudore vultus paranda:

Cum mærore & lacrymis comedendus panis sæpius, adversa periculaq; subeunda. Hæc solicitudinis pars reliqua est, cætera exacta, quæ vanis se curis in futurum torquet. Multi varijs exerciti studijs, spes in longum producunt, & de divitijs honoribusquè soliciti, infinita menti dissidia movent, frustraneum laborem nil proficiente anxietate impendentes, non providentiâ sed cupiditate agitati incerti quid serus Vesper vehat. Quanto satius est, muneris memorem propiori necessitati præsidia parare, inconcussâ fiduciâ, futuras curas sua habituras solatia, futuram famem paratam satietatem. Sufficit enim sua cuiq; diei afflictio. Cap. XVIII.

CAP. XVIII.

De Gratitudine erga Beneficia Dei.

CONditâ Messe, gratitudinis studium Priscorum læticiam accendebat. Nempe locupletatam crediti emolumento Villam non rusticationis curis, sed cœli beneficijs deberi noverant; Quæ ne oblivione fatigarent, Benefactorem de substantia honorare æquum ducebant. Ante quam verò frugibus vescerentur, primitias eorundem offerebant, unde Sacerdotia sustentabantur, ut de cætero Horrea frugibus & musto torcularia abundarent. Nam neque Messem

Judæi incipiebant, niſi agno prius immolato & ſpicarum manipulo ſiccato & contuſo aræ impoſito, ut Joſephus autor eſt. Sed & Levitis pupillis Viduis & Advenis ex Dei præſcripto tertio quoq; anno decimas diſtribuebant. Dein & inopum miſerati fortunam, gratitudinis lege, qua ſe deficienti fratri teneri ſciebant, ſtipem erogabant. Magnam ſanè Eleemoſynarum vim habitam liquet, quod & Deo in fœnus dari, & divinam provocare indulgentiam credantur pietate, qua proximi paupertatem levant. Et promptius liberalitatem Munifici Deũ juvare operaq; proſperare certum eſt

quam

quam quem invida tenacitas Misericordiæ subducit. Meritam enim liberalitati mercedem sacra pagina pollicetur, ut extremis necessitatibus mederi profiteatur, peccatis & morte etiam hujus beneficio abolitis. Nec rem facile præ Eleemosynis feliciorem apud Deum fiduciam præstare, laudata misericordiæ operum solatia demonstrant; Quæ haustui frigidæ & proniori in desertos humanitati â CHRISTO reposita asseverantur.

Cœterum gratitudinis causâ Tabernaculorum Festum in veteri lege ab ipso Deo institutum, cui annua septem dierum solennitate populus post spicilegia vacabat, infandâ hilaritate Creatoris

ris beneficia extollens. Sub frondosis nemorosi ligni umbraculis tum commessati, hostijs cæsis, Myrthiq; ramos & salicis, ut & summitates palmarum gestantes munerum divinorum celebrabant benignitatem, minores longè Dei se beneficentiâ professi, cui terræ divitias acceptas ferebant. Paucula farris grana telluri credidere, & ecce larga Messis tantum non rumpit Horrea; Ne granum quidem in herbam producere, aut culmum erigere potuere, & omnis Ruris opulentia usurario proventu spem cultorum superat. Adeô tum convivia, pietatis exercitia erant, & religiosius habebantur, quam nuncâ plurimis sacra. Et

præceptum disertè: Ut, oblatis holocaustis & victimis, decimis & primitijs votis & donarijs primogenitis ovium & boum comederent in conspectu Domini Dei sui; ac lætarentur in cunctis ad quæ misissent manum suam, illi & domus Eorum in quibus prosperaverat illos Deus. Iterumq; jussi epulari in omnibus bonis; quæ Dominus dedisset eis & Domui eorum. Et hæ epulæ in luctu non comedebantur, & in immunditiâ aut re funebri de his quicquam impendere, negatum. Nec enim inquinari sanctificata de domo fas erat, & sincera læticia sua exequi sacra Deus postulabat. Ita Davidis Proavus Boos cum aream ventilaret,

laretin suburbano Bethlehemitano sancta hilaritate; Sic alij Dei munificentiã agnoscebant. At nunc quam parca erga Deum gratitudo & calamitosos favor; Contuberniaq; olim religioni sacrata corruptis moribus profanata sunt, & vix paucis verus conviviorum usus manet. In tantum honestatem luxus invasit, & vanitatis ferme pertæsũ & jam olim sumpturarijs legibus op⁹ fuerit, quibus in pejus lapsura licentia domaretur. Nam luxu gliscente Theatra Laconica similiaq; flagitiorum desperationisq; fomenta placuere. Quæ; fractis per mollitiem viribus, obliti pietatis Ruris cultui laborib⁹ obnoxio non segniter prætulere, citius in scenis

rixis-

rixisq; quam ſegetibus manus moturi. Cui depravati Orbis turpitudini nec Fanniarum, Didiarum, Orchiarum reliquarumve luxui oppoſitarum legum cœtus ſuffecturi ſperantur.

CAP. XIX.

Incipit Auctumnum: Ubi de Agricolarum moderatione & avariciæ malis.

HActenus Aeſtatis labores penum inſtruxere, quam ſuccedentis nunc Tempeſtatis opulentia auget, Auctumni inde nomine nobilitata. Hæc anni ſpecies,

ſpecies, Tacito referente, å priſcis Germanis perinde ut & bona ejus ignorabantur; Nunc fructu inſignis jure hoc Nomen populares agnovere. Nam & vindemia Hortenſibusq; exuberat, omni venationum genere præ reliquo anno amæna. Et Horti quidem, quamprimum Libra Æquinoctium inducit Septembri ſtatim Menſe fœtus ponunt: Tum in diverſa familiam officia Paterfamilias diſtribuit, His ſcalarum adjumento poma pyrave decerpentibus: Illis perticis decutientibus fructus; Alijs juglandes, Cydonia, perſicaq; mala legentibus. Nempè graveſcente undiq; Rure infinitis bonis Villa ditatur, quibus ceu laborum fœ-

nore felices Agricolæ ſecure fruuntur, in medio Patrimonij cœleſtem liberalitatem circumſpicientes. Hinc familiam meritosq; alunt juvencos; hinc viciniam ſuſtentant. Nec ſterilitate accenſa annona fidentes frangit ex frugalitate Deiq; bonitate proventus æſtimantes; Non tam novi ſunt rerum humanarum, ut annorum vices ſtupeant fragiliumq; conditionem. Neq; enim Nabalis vitio aut avari divitis, ex Divitijs tanquam Deo pendent, ut fluxam rentur, nec ſuffecturam neceſſitatibus niſi abundantiæ incubet fiducia; Sanctius de cœleſti providentia cenſent, miſerati illorum fortunam, qui tantiſper confidentiâ, dum

Gra-

Granaria farre vel auro ſcrinia turgent, cum caſus aut vis major abſtulit, cum rebus & ſpes dilapſa deſtituit ſtulticiam tam labili bono confiſam. Lubrica adeò felicitas Eorum, Qui theſauros colligunt nec in Deo divites ſunt. Verum Agricolæ ſuâ ſorte contenti, non facile calamitatibus dejiciuntur, quippe nec proſperis elati, ſed pia moderatione, quicquid Deus ſedulitati conceſſerit, lucro apponunt, cupiditatum ſecuri. Ingens nimirum quæſtus eſt cum Pietate labor. Quo Æneam frugali tecto inducens prudentiſſimè invitat Evander, dum monet:

Aude Hoſpes contemnere opes, & Te quoq́ dignum
Finge Deo, rebusq́ veni non aſper egenis.

Quanto his moleſtiora ſollicita hominum ſtudia, quos avaricia agit opulentiæ ſectatores, tot periculis obſeptæ. Nunc mari commiſſa ſpes, nunc Pyratarum aut inſidijs itinerum objecta; Mox impoſtorum aut furum fraudibus perduntur, ſemper anxio dubioq; periclitantium opum Domino. Credendumne metus hoſce ex impotentis maximè animi cupiditate pendentes ſinceram ſociare tranquillitatem. Equidem duriora verti mala opum ſtudio cenſuerim meliori noſtri parti fallacibus illecebris infeſta. Nam & in volupta-

luptatum præcipitia trahere divitias, cœlestibus animum delicijs assuetum subducere, nimis vulgatum. Hinc tot naufragia, quæ multorum pietatem absorbsere & Epulonem in orcum, Prodigum Filium ad extremam paupertatem adegere. Avaros verò quid præter cupiditatem delectat? Insomnes illis noctes, curæ voraces, perpetua tormenta, Nunc rapinæ, nunc furti metus mordet; Nunc felicioris invidia obsidet. Ipse genium fraudat aspectu solum auri satiatus, famelicus, durus, impius, temporalium suique thesauri mancipium, & totâ plene vitâ egenus, ut locuples moriatur. Nulla æterni boni desideria, nul-

la ſalutis cura. Ad fraudes, fœnora, ſacrilegia adeo occalluêre animi, ut nec noxæ ea habeantur perditis. Hinc illa piacula hujus ſeculi, & mox æternis pœnis illiganda. At ex Agricultura piſsimus maximè quæſtus & ſtabiliſſimus conſequitur minimeq; invidioſus, nec male cogitantes ſunt, qui eo in ſtudio occupantur; Ut prudentiſſimè hanc profeſſionem, ſub initium Rei ſuæ Ruſticæ M. Cato commendat.

CAP. XX.

De Venatione, imprimis Cervorum, ejus modo, & Venatoriæ dignitate.

SUb Arcturi ortum initio Autumni Cervi fœminas appetunt, tam avido æstuantes furore, ut nullius feræ libido magis in Venerem pruriat. Quippe & pabuli obliti, conjugijs student, & acribus prælijs æmulos repellũt. Quod memorabile est, diversa Tempora naturam bestiarũ propaga-

pagationi præſcripſiſſe, quæ cujusq; indoli convenirent. Et divinæ hoc providentiæ eſt, alimentis pecudum conſulturæ, ut rum fætus edantur quamvis diſtinctâ ferarum conſuetudine conceptí (cum non omnes paribus Menſibus uterum gerant) cum aer & terra favent. Venatus verò Cervorum â Junio & Julio Menſe habetur nobiliſſimus. In uberrimi tum pabuli læticia pingueſcunt, fontium, quibus impenſe delectantur, refrigerijs adjuti. Quamobrem venantium inſidijs objiciuntur in Septembrem usq; huic generi infeſtis; Qui Menſis tergora demum cornua & nervos uſu commendat. Tum celebrata Magnatibus voluptas

luptas est, qua sylvæ frequens regio tota agmina tueri lustrorum solitudine potest: Juvat cervi explorare latibula, loca pastus & effugia. Orto namq; Hespero ferarum ob id sidus dicto, ê lustris sereniore cœlo alacrius prodeunt, matutinum circiter crepusculum ad umbrosa se loca recipientes. Tum venatores, odorâ canum vi, vestigia secuti statioñ facile deprehendunt & ê signis jam feræ præstantiã agnoscunt: Corpus exquisitum est, caput sublime & pilis densum, oculi acres, numerosa cornua benè suffixa, nares fumosæ, pectus torosum, teres alvus, fuscum tergus, crura agilia. Cervi habitus ê vestigijs ungularum, ex affrictu,

quem oriente die madidæ traxere frondes, accuratè definitus. Ad cujus præconia Indagatores ſtatim & vertagi numellis junguntur, ingens canum agmen ducitur, Nemusq; longo ordine aditur. Hinc notata ſub auroram indicia ſequuntur, indagine locum cingunt, & canum ſagacitate luſtra ſcrutantur; Qui avidi prædæ ductorum manibus obluctantur; ſed negatur libertas ſucceſſui inviſa, quo in bello & venatu plurimum fortuna ludit. Comitatu ad occupandos cervi lapſus cum canibus depoſito, cornua inflantur, ſubſequitur canum latratus, hinnitus equorum, hominum clamor, Quibus excuſſa latebris fera, immenſis

passibus erumpit, vel tota tumultu territa armenta diffugiunt. Tum laxatis loris canes solvuntur. At insigni solertia opus, qua prematur tantâ agilitate in pericula factus, quam excita venantis Juventæ alacritas generoso nutu ostendit. Namq; nec paratâ victoriâ, prædas agere licet, feris nunc itinerum diversitate, nunc flexu, nunc saltu indaginem fallentibus, vel vagō errore vestigia canesq; confundentibus. Sæpè recessuum ambagibus, palustribusq; locis ambito clivo vim vitant jucundissimo aspectu evadentes. Sed & stagnis fluvijsve novissimè salutem quærunt: Tùm nobili venatu ceu navali pugna incessuntur circumnatanti-

tantibus canibus cymbisq; fatigati. Sic tandem conficitur cervus, telis aut laqueis ſtratus. Invadunt pronum venatici robuſti morſibusq; anhelum cruentant. Arictus vitandi quibus indignat⁹ morté proximi cujusq; latus petit, & præcordia confeſtim venabulis aperienda, confoſſusq; in dorſum ſupinandus. Hinc comitatus Venatica voce convocatur, dextroq; Cervi pede Domino oblato, venator tergore feram exuit & exenterat, Mox reſciſſum caput ſagaci objiciens moloſſo. Deinde reliquos curat Canes offis è pane fruſtillatim ſecto, lacte, jecinore caſeo, aliaq; carne, calido feræ ſanguine tincta ſuper detracta cute objectis. Poſt in grami-

gramine pransi, receptui canunt, prædaq; onusti ad aulam redeunt, aut proximum suburbanum, nemore viâq; festivâ voce resonantibus.

Nobilis autem hæc venandi voluptas, Auctumno maximè frequentata, honesta semper & liberalis exercitatio habita est, Quæ & initio statim rerum rei familiari subvenisse traditur. Equidem alacris ingenij æstimo, sub auroram per saltus excire feras lustris, & morosa sylvestri amænitate interpellare. Sæpe sub dio transigere noctes, Nunc frigora, mox solem pulveremq; pati, cubare humi, & corpus serio hoc virium ludo ad aspera durare. Sic Esavus, sic Marsus olim

& sor-

& fortes Sabelli, sic Germanus impiger robur quæsivere & bello animum paravere, Quibus labor hic Xenophontis experimento plurimum conferre asseveratur, cujus Ille originem Dijs in libro de Venatione asscribit. Ac proinde honori Numinum dari creditum, cornua sacrare Cervorum, & aprinos dentes liminibus affigere. A quo nec hodierna civilitas abhorret, qua Milvios, aliarumq; avium & ferarum exuvias suburbanorum atrijs affixas videre licet.

Sed venaticæ nunc rei dignitas, provectâ hominum aviditate, in ordinem redacta, paucorum oportunè oblectatione cohibetur; Ut Magnates tantum

plæ-

plærisq; in locis deceat, plebeis exclusis. Nimirum ne multitudinis promiscuæ insectatione oppressæ feræ deficerent; neve agricultio operæq; magis in commune utiles, exercitij dulcedine negligerentur; Accessit latrociniorum metus, quibus nemora armorum usu facile infestantur. Summi autem Magistratus auctoritatem plurimum valuisse reor, hanc sibi molestiarum relaxationem poscentis, usurpationeq; jus quærentis. Sic plurima naturæ aut Gentium jure communia certis limitibus arctata sunt, & quod spretum consuetudine jacuit, dignitatem raritate acquisivit. Nunc regalibus vulgo venatio-

nes accenſentur, & Foreſti jura ſeu Banni ſylveſtris clientelari nexu conceduntur. Quin & Saltuarij, ne quis turbet feras, cuſtodiæ nemorum præponuntur. Hi venatoriæ & ferarum naturæ perditiſſimi, conſociationes fæturasq; notāt, gnari, cum uterum gerunt, è fætæ matris veſtigijs, maſculum vel fæmellam prædicere, & quæ miranda plura Venatoriæ Artis ſcientiæ Amatori ſubminiſtrat.

CAP. XXI.

De Vivariis, Aucupio, Leporum Venatu & Caprearum.

CÆterum cum tempeſtatum vices gravis Æther, repetita

aratio

aratio robustiorisq; farris satio, aut alia impedimenta venatum differant sæpius, prædæq; non minus successui quam industriæ debeantur; Utili invento veteres, Cervis, Capreis, lepusculis, similibusq; sylvestribus feris subjecta dominicis habitationibus Vivaria implevere; ut aspectu clausa venatio, possidentis oculos oblectaret, utq; usu exigente sine impendio ferina culinæ suppeteret. Deinde & reditus plurimorum hæc studia juvere, quorum Prædijs ampliores sylvas Fundi benignitas admovebat. At oblectationi parco fructu contentæ, modicus saltus satis est maceria circumactus, avaritiâ magno sumptu dissitorum nemo-

nemorum fatigatâ. Vivarium autem qui vaſtius conſtituere volet, locus pabuli ferax deligendus, ſylveſtri montosâq; facie jucundus, ingentibusq; arboribus opacus. Præterea & gramine, virgultis, uti etiam glandibus, quernis, tum arbuteis fœtibus ac reliquis ſylveſtribus pomis abundet, quantumq; fieri poteſt ad ſaltus vaſtitatem accedat; Quo & feræ frondium denſitate lateant, Dominusq; luſtrorum ſimilitudine majorem voluptatem capiat. Sed lympidos imprimis fontes vivaria requirunt, Qui dum ſuavi murmure ſub incumbentibus umbraculis volvuntur, alliciunt loci formoſitate feras ſalutariq; frigore reficiunt.

unt. Si tamen fundi qualitas neget aquas, induci rivus poterit amænis ambagibus, luci recessus rigaturus; Vel cisternis aqua pluvia colligenda, quæ missa modico torrente arborum spacia pervagetur exhilaretq; saltum. Tum & malvis brassicâq; intubo & lactucis serendum per intervalla solum, si lepores clausi, aliaque pabula largius promenda. Sterili præsertim tempore, cum terræ negant, hordeo, farre, adoreo, vicia, fabâ, vinaceis, alijsq; quæ vilius constant, feris subveniendum, ne inopia conficiat ubertati assuetas. Si tamen recenter captæ objecta refugiant cibaria, una alterave domi mansuefacta vivario immissa exemplo cunctan-

ctantes trahet. Sæpè etiam benigniore tempore, repositâ messe juvandæ, cum fætæ pepererint, ut benignius eô cum edito partu sustententur. Adeo quippe domita feritate paulatim mansuescere ingenia manifestum est, ut & fœtui clausæ studeant, buccinaq; inflatâ conveniant custodis manibus præbita pabula carpentes. Ita in Fundo Thusculano M. Varronis ad effusam glandem viciamque Apri capreæq; concurrebant. Quod simile in Agro quoq; Laurentino apud Q. Hortensium se M. Varro vidisse testatur: Ubi in excelsiore pergula cœnantes, ad inflatam buccinam tanta Cervorum, Aprorum & aliarum

liarum Quadrupedum multitudo circumfluxit, ut non minus formosum ipsi sit visum spectaculum, quam cum in Maximo Circo Ædilium exoticæ Venationes instituuntur. Hæc illa voluptas etiamnum hoc seculo nobilis, prospectui admoti Triclinij objecta; Unde pabulationes, discursus, inq; amnibus bibentium lusus Domino videre licet; Aut cum in umbris reclinantur, strepituve impulsarum frondium territæ diffugiunt. Juvat capreolus aut lepus Mensam ornans ejusdem nemoris donum, quod vivos cænnantium oculis offert, unde tanquam è cella culinæ inferuntur. Profecto vetus ego in bruta dominium

um quod in Paradiſo innocentia tribuebat, tali ratione vindicari putarim, venatione ad Domini nutum paratâ.

Sed & per nocturna ſilentia, caſſitarum majorum aucupium Septembri ſolemne, Quo ſegetibus exuto campo tota agmina, retibus ſuperinjectis capiuntur. Pari voluptate Sylveſtris anas, Querquedulæ, Fulicæ, aliæq; paluſtres Volucres amicæ noctis beneficio illaqueantur, quà junco & algis opaca ripa propius inſidiantes tegit. Circa ingreſſum autem confeſtim Menſis ſturnorum aucupium voluptati eſt. Ingentibus tum turmis ſociantur, êq; paſtu ſub veſperam redeuntes per globos commurmurant

Mox

Mox propiore nocte ceu furvâ nube,ubi quiescant tutius,superfunduntur arundinetis. Proinde qua frequentiam notavere aucupes, præter stationem lacus fluviosve demessâ arundine aperiunt, iterum, qua nassæ ad hoc præparatæ explicantur densissimâ scripti sylvula relicta, ne hominis retisvè conspectus iter migrantium turbet. Hinc cum silent nocte per cubilia accensis tædis excitantur, virisq; lambo vectis agitati, qua apertum iter, proxima juncorum sequuntur jngi insectatione in retia acti. Clausurus rete summo se tenet silentio juncis latens ne vox terreat alijs haut facile obstaculis offensos. Mox procedente Mense me-

ſe merulæ, & cum ficus maturuerunt Ficedulæ; Poſt perdices delicatiſſimæ volucres varijs Aucupum artibus conquiruntur. Voluptas eſt Patri familias orto die, vel decedente, obire dumeta nemorumque aviariã, & poſitis illigatas pedicis, aut equinis hærentes ſetis opimas colligere prædas, retibusvè aut viſcata arundine, dum æſtas favet, capta agmina ad villam reportare, & Amicis partem dono mittere. Deinde leporum venatum & Caprearum October inducit, ſub auroram imprimis, cum veſtigia ferarum odorem tenent, canum miniſterio gratum. Ubi plus exercitij luſus voluptatis habet, cum cubilibus expulſa fera

camporum libertatem nanciſcitur, cum nunc vertagis, nunc equis exagitatur, quam tanto conatu petitæ prædæ dulcedo. Sed fraudum imprimis varietas placet, quibus pavidi circumveniuntur. Nam & feſtivo compendio vicina nemori jugera funiculo ambire licet, amitibus per intervalla erecto, de quo continuâ ſerie plumæ ſuſpenduntur lotio humano tinctæ; Quæ interiore gyro tenent leporem odore agitatarum territum, nec exitum habentem, niſi qua ſueti itineris ſemitam retia inſedere, quibus ſe recipiens implicatur. Ita vano metu aperta vitat lepus, in impedita obnoxiè deflectens.

Porro nobiliſſimum aucupium Falconibus, niſis, & accipitri-

bus celebre, hunc quoq; men
ſem inſignit, priſcis ſeculis nec
cogitatâ voluptate. Inveniſſe
credebatur Fridericus Barboroſ-
ſa, cum Romam obſidens mo-
ram falleret. Sed Falconum idq;
genus avium nutritores remoti-
ora ſecula cognoviſſe conſcij
memorant. Et Eximiò Impera-
tori Henrico I. cognomentum
Aucupis ab amore Illuſtris hujus
oblectationis obveniſſe conſtat.
Fridericus verò II. ſummæ virtu-
tis Imperator Artem venand
cum Avibus duabus exactiſſime
libris deſcripſit, procul dubie
uſu nequaquam minore. Ita ve
rum Heroum genus egregias in
ter artes integra provehens inge
nia felicius agebat, quam qui lu
xui per deſidiam objiciuntur
Cu

Cui ut natura occurreret Vestigatores, Vertagos molossos canesque leporarios & alites redire jussos, ad venandi usum produxit, totq; solatia in hac ægri Orbis calamitate, mortalitatis tædijs objecit. Miraculo namq; res vicina est, odia ingenijs avium indita, quibus se invicem persequantur mortalibusque operam præstent. Hæc pertinacissima Falcones Ardeasq; exercent. Sed Magnatum demum sumptus huic studio pares sunt, quorum Regio abiete pinuq; consita, nemora lacu fluvijsq; insuper rigua alit, grata Ardeis stativa. Quibus talis fundus, adulto Auctumno paludibus insistentes Falconibus venantur: Ardea tũ hostis certa

immenſis voluminibus aëris gyros emetitur, cœlumq; petit; Invaſores ab oppoſito cœli cardine ſupernè imminent, prudentes doli, quo inferiorem Ardea infeſtat. At irruentium illa impetus ultura, ſupina prælium init, multæq; artis ambagibus commiſſi ſe fatigant, donec ad ultima converſus Falco ſocioq; adjutus robore, (duobus enim Falconibus hoc aptius aucupium peragitur) urget deficientem terræq; allidit. Sic & robuſtius avium genus Accipitres lepores aggredi audent, deſuperq; involantes cervici ungues injiciunt, alterum pedem loris coercitum terræ infigentes, ne grandior fera rumpat Invaſorem. Tam memo-
rabili

rabili voluptate Prædonum Volucrum audacia Dominum recreat, prætterquam quæ ferina, dapes miniſtrat, quibus tam nobili ex luſu precium eſt.

CAP. XXII.

De Piſcatione & Piſcinis.

PIſcationum quoq; utilitas nõ minus rei familiari ſubvenit, quam reliquæ paſtiones, benè circa villam curatæ. Nam & Menſas delicatis obſonijs opulentant piſcinæ, Villæq; amænitatem & quæſtus egregiè juvant. Auctumno vero, ut aliarum rerum, maximi harundem proventus: Tum enim piſcinæ vulgo deducuntur, Carpiones, lu-

cei, mulli alijq; pisces consumptis æstivariorum escis, pabuli causâ in hyberna transponuntur, lacusq; subductâ aquâ instaurantur. Qua occasione verriculis, tragulis & sagenis congesta piscium multitudo, partim hyemi servatur muriâ condita, vel ad solem aut fumum siccatur. At pulchrius longè in subjectis stylobatæ alveis, in culina vel atrio pisces habentur, recenti semper aqua lætantes. Sic Mustellæ, trutæ, funduli, & nobilissima quæq; obsonia aluntur, cænis parata, quibus vel manu promantur. Quidam in adjectis domui hortis sub tectis ad hoc structis Ichtiotrophia habent

præti

pretiosissimis piscibus plena, saliente inibi fonte objectisq; cibarijs saginatis. Quæ amœnitatis salutisq; studio per anabatra quædam humilioribus piscinis eidem usui destinatis, per canales aquam communicant, libero semper fluxu meantem; Huc quantum placet Domino, ex magnis lacubus aut stagnis, ubi tam facile non capiuntur, congeritur, ut necessitati parati pisces habeantur. Illustriores usum delicijs ac miraculis plane consummavere, non tantum in mensa cibis, sed & in politissimis labris tanquam faberrimè factis cisternis lusu piscium & aquâ lucidissimâ delectati. Namque à visu memoria recens est,

de oppositorum Quadratæ hujusmodi structuræ cardinum globis decussatim jactatam aquam, exoticorumq; piscium inclusa examina visum magis narratu, quam gulam obsonio detinuisse. Pari gratia sub diô positis piscinis clauduntur exquisitissimi saporis pisces, quorum venustas coloris formositate pellucentibus lymphis rarissima; Et ad objecti panis frustula catervatim adnantes spectatorem jucundâ sæpè contentione morantur. Magni autem semper piscium cura facta; Adeo ut jam vetus illa Romuli Numæq; rustica progenies ingentibus impendijs obsonijs studuerit. Nam & in petra excidebantur vel signi

no

no opere piſcinæ conſtruebantur, congruâ crepidine munitæ, cujus objectu tempeſtas frangeretur. At dulcibus tantum aquis alebantur piſces, & factæ piſcinæ, quosq; natura lacus dederat, convectis ſeminibus marinis, ſcaris, mugileq; replebantur. Neq; enim qua copiarum parte Urbanam Villaticæ vitæ præferri ſuſtinebant. Interim recenti ſemper aqua fovebant, nec reſide, locisve peſtilentibus laborare patiebantur. Res haſtenus honeſta & laudata, absq; luxuriâ manſiſſet, quæ abolitâ priſcâ frugalitate, maria ipſa, Neptunumq; poſtea clauſit, docuitq; erudita palata, fluviatilem faſtidire lupum, niſi quem Ty-

bris adverſo torrente defatigaſſet. Tum obſoniorum pretia lauticiæq; locupletum ingenti ſumptu piſcinas ædificare impulere, majori etiam incluſa & palere, majori etiam incluſa & patrimonijs ſæpe conſumptis aletrimonijs ſæpe conſumptis alere. C. Hirrius, dicente Varrone, ex ædificijs quæ in piſcinarum viciniâ habeat. Eam omnem mercedem piſcium eſcis impendebat. Et uno tempore, Cæſari ſex millia murenarum mutua detiſſe in pondus ſe meminiſſe, & obpiſcium copiã Quadragies Sex tertio Villam veniſſe memorat. Quam Hortenſius piſcinas ingenti ſumptu ſtructas ad Baulos habebat, & in cænam Puteolis emptos piſces adhibebat, ut proprijs parceret. Quos maxi-
mâ

mâ curâ alebat, minutos ſubinde aggerans piſciculos emptitiaq; ſalſamenta objiciens. L. Lucullus Macrobio Varroneq; teſtantibus exciſo juxta Neapolim monte, majore impendio piſcinam quam Villam ædificavit, Euripum & maria admittendo. Pari cura ir Bajano ardebat, Architecto permittens ut ſuam pecuniam conſumeret, dum modò ſpecus in mare ê piſcinis perducerentur. In hoc itaq; tum ſummo ſtudio laborabatur, creſcentibus delicijs popinalibus, ut quam maxima piſcinis gloria eſſet, quas ad maris faciem ingenti ſpatio effundebant, ut minimè ab incluſis piſcibus cuſtodia ſentiretur.

Longos

Longos item recessus & flexuosos specus per latera cavabant, ut opaciores essent æstuantibus latebræ. Sæpius in frigidiora loca, ob æstus educebant pisces. Tanta lacuum vastitas injectis petris & algâ adjuta illius seculi luxuriæ inserviebat. De cætero & â mari vivaria deferebantur. Quæ â Carpathio inde usq; Tiberij tempore Octavius Classis præfectus advexit; Mox inter Hostiam & Campaniæ littus scarorum immensam multitudinem in mare sparsit, forteq; captos reponi cavit. Nec quinquennio quenquam ex his Cocus in jus vocare audebat, ut Varro in hoc argumento jocatur. Et sicut triumphatarum gen-

gentium olim, ſic tum piſcium vocabulis clarere plurimi geſtiebant. Nunc modicâ induſtriâ lacus fiunt, conſervanturq;, facili ad hæc ſtudia ruris oportunitate. Et vulgaribus ſtagnis, prope non minus pretium, quam ſumptuoſis illis olim obſoniorum proventu; Nec novum etiamnum aliquibus locis, piſcinarum reditus, pene agrorum, quamvis ampliſſimorum, pecuariæq; cenſus ſuperare, Ubi favet Neptun⁹ piſcatu & viciniæ luxus pretium accendit, qua lucei carpionesq; ingẽti copiâ vehuntur. At quibus frugalior fundus, Patres familias ſatis habent, ut Culinæ piſcina ſufficiat, ſi ad forum piſcatorium piſces perferri non poſſint.

possint. Cum alia facile benignitate natura soli suppleat, locorum parcitate negata.

CAP. XXIII.

De Vineis & Origine harundem, ubi & de laude Italiæ & Germaniæ.

SEnescente Octobri vindemia maturis uvis impendet, suavissimo liquore mortalibus profutura. Quem ægritudinem summovere, cor recreare inq; creatum ut exhilaret hominem; Vinum temperanter sumptum, lætificare corpus & animam, nec vitam censendam ubi desit vinum, â Præstantissimo pru-

prudentiæ Syracide aſſertum. Nec fruſtra Dei benignitate nobile adeo munus indultum cum ſtatim ac ſubſidente Diluvio Tellus emerſit Noacho, quem Janum Gentiles & Bacchum indigitarunt, vitis uſus monſtratus. Ex eo traductâ propagine, toto paſſim orbe vineta coli cepere. Quæ ob locorum cœliq; varietatem, promiſcuâ bonitate excellunt. Creta Malvatico claret dulci robuſtoq; mero, immenſis maris ambagibus ad nos delato. Hiſpania generoſas vites alit, & exquiſitiſſimi ſaporis odorisq; vino exuberat, cui & coloris concinnitas plurimum confert. Galliæ immitibus alicubi uvis, at per

Ande-

Andegavensem tractum pluribusq; locis cum plenæ maturitati æstas suffecerit, sapidissimis abundant. Nec Hungaria salubrium vinorum indiga, quæ passim locorum præstantia profert; Sed Sirmiana bonitate præcellunt. Italia verò delicatissimo omnium mero reliqua superat. Incredibili Regionis pulchritudine orbis huc pene deliciæ congestæ. Campania soli ubertate Libero Cerereq; felix; Mari portuum nobilitate insignis; Amicti vitibus montes Gaurus, Falernus, Massicus & in Hetruria clarus Phaliscorum. Nemora illic medicis citrijs, punicisq; malis læta. Castaneta, oliveta larga, omnium deniq; fructuum excellentia & copia.

Sed

Sed nulla Terrarum laude inferior Germania memorabili felicitate dotata. Ingenti primo ſpacio diffuſa, Magnæ inde apud Geographos nomen tulit: Placidis ſublata collibus, non immanium rupium dorſo rigens, aut ſterilium Montium fornacibus æſtuans, Barbarorumve incurſibus promiſcue horrens. Nativis fructibus contenta peregrinam non requirit annonam, ſibi Horreum & penu. Fluvijs rigua commercijs celebribus; Qualis Rhenus & Danubius. Hinc Nicer & Mænus; Mox Viader & Albis, amæniſſimis cohibiti ripis alvei, perpetuisq; plæriq; vinetis prætexti. Rhenus & Nicer imprimis colles crebra vite formo-

ſos

ſos lambunt, generoſiſſimi vini feraces, Annes Baccho gratiſſimi. Cujus aræ â gentili ſuperſtitione vel certe memoriâ priſci ævi hactenus in cognomine loco ſuperant, cui Baccheracenſe merum nomen debet. Neccareum vinum nectar eſt. Poſt Alſatica, Franconica, & quæ Luſatiæ pars ad viadrum extendit, in pretio ſunt. Ut Tyrolenſes taceam vites, aut quas Auſtria fert, majori ambitione commendandas. Cæterum tot egregiæ Urbes, tot arces munitæ, tot oppida & Villæ non parum laudibus addunt. Et quæ olim loca horrentium ſylvarum ſolitudo, aut paluſtris deſprmitas infamabat, tot jam Predijs, vicis & Hortis ſtru-

ſtructa ſunt, ut cultiſſima quæq; amænitate excellant. Et exoticos non tantum flores ſed & nobiliſſimos fructus progenerare Italiæ Hiſpaniæq; æmula didicit, obſequentiſſima mortalium curæ, Germania; Hæc punica nunc, Citria & aurea profert mala; Hæc ficus & laurum. Et quæ olim in diſſitis ſe regionibus vidiſſe populares memorabant, nunc admiranda cum Voluptate in Patriâ carpunt. Multa nempe dies, variusq; labor, mutabilis ævi, plæraq; in melius retulere. Cœlum clemens & validum robori favet. Crebri ad utrumq; mare Portus. Viris habitatur, Italorum confeſſione, nec priſcis ceden-

cedentibus. Nec minor Imperij Possessorum laus erit, quam cum amicitiâ Romanâ præcellerent, &, Tacito teste, una populi vox erat: Nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse. Ergò illi virtute longe maxima triumphos semper quæsiyere, Pœnis, Samnitibus, Gallijs & Hispanijs â summæ prudentiæ Historico prælati, Ipsisq; Parthis & Arsacis Regno acrior Germanorum libertas æstimata: Varoque cum legionibus cæso, geminæ aquilæ insignibus labaro detractis, Germanici imperij perennantem Majestatem constituerunt. Porrò civilitate quoque gliscunt. Humaniorum quippe commercia asperitatis olim op-

pro-

probratæ ſeveritatem ut & ſimplicitatem dudum invertere. Quibus ingenij encomium Typographiæ & Tormentorum bellicorum inventis acceſſit. Si quid labis eſt, quam omnis natio naturæ vitio trahit, tardè alieno contagio ſerpentem noxam. Germanorum mores admiſere, ut tamen infra Originis turpitudinem ſubſiſtat. Nec enim vitia ridere, aut corrumpere & corrumpi ſeculum vocatur. Optimis quibusq; labor eſt, fotitudine excellere & juſticiâ. Quibus moderationis neceſſitudine, quod eſt arduum maximè inter mortales, gloriâ invidiam vincere licuit. Plaga hæc Arminios, Carolos, Henricos, Maximilia-

nos & tot belli pacisq; decora tulit. Nunc poſt immanes motus & pertinacis belli labores, in libertatis ſtudio hærens, Pietatis & Conſtantiæ gloriam Majorum immortalitati jungit. Ergò deploratæ populorum res ſpe pacis refloreſcunt. Abſit modò invidia & ſpectatæ Virtutis præſidio, tutum Imperium, amicæ domus æterna excipiat manſuetudo. Verum ego ad ordinem â quo me contemplacio ſuccedentis felicitatis averterat, redeo.

CAP. XXIV.

De Vindemia & Aviariorum usu.

UVæ vitibus adimuntur, cum nocturnis pruinis rorationibusq; maceratæ, mitescere ceperint, incipiendaq; vindemia ab apriciore vineæ parte præcoci citiusq; cocta uva. Quarum quæ dam prælo ad potum leguntur, quædam secretis corbulis esui destinantur. Nam & picatis amphoris clausæ, piscinis immittuntur, longo vigore bellarijs suffecturæ. Novissima hæc rusticatio præcipuã voluptatem habet, formositate exuberantis vineæ & fra

fragantiâ uvarum aſpectu animoq; exhilaratis. Hinc alacritas jugi operâ incumbens; cum decerpti botri, primo pedibus calcantur, mox torculari ſubjecti folliculi quod reliquum tenent muſti in ſubjectum lacum exſudant. At acutis falculis demendæ uvæ, ne manu ſtringantur, bonaq; fructus portio ſparſis acinis pereat. Dein & mundities imprimis omni in opere requiritur. Quapropter per vindemiam accuratiſſimâ inſpectione opus eſt, ne quid ſordidè aut negligenter fiat. Dolia quoq; & ſeriæ cæteraq; vaſa ante paulò picanda partim, partim repurganda, quam expreſſa vina condantur. Hinc nonnulla herbis radici-

radicibus aromatisq; præparantur. Sic Myrtiten, sic Scylliten vinũ & absynthiten aliaq; Prisci etiam salutari domesticæ rei usu condidere. Præterea & in obsoniorum Embammata recens à torculari mustũ, cum sinapi tritũ picatis vasculis servatur. Mox sapa defrutumq; coquuntur. Durante verò vindemiâ dulce est, felicibus collibus immorari, turgentia lustrare arbusta, musteosq; lacus suavius fluentes Autumno quam vere gemmei fontes. Insita passim vinetis Amygdalus, Castaneave umbram spargit, meridiantibus oportunam, novo mox vigore repetituris opus, leni otio interruptum. Hîc cibos & potum, hìc vestes repo-

nunt, hûc pransuri succedunt. Cum vesper irrubescens ingruentis noctis crepusculum propiore obscuritate vehit, oppida repetunt Vindeminatores, immensis DEI beneficiis læti. Ita mortalitas voluptate, ceu torrente irrigatur, amplissimis bonis cœlestis domus inebriata. Optimus Maximusq; Paterfamilias montes & convalles immensâ fertilitate, arva segete induit: Pecori gramina, frumenta mortalibus sufficit: Ut panis renovet vires, vina cor exhilarent, oleum formam. Tanta benignitas nunquam fatigatæ bonitatis! Nos facie in terram proni (Quid enim aliud valemus?) gratias agamus Deo, stupendis factis orbi

claro:

claro: Qui ab utero Matris dies noſtros provexit, miſeratusq; ſortem indulgenter benefecit. Exactis idem curis læticiâ nos erigat perpetuetq; pacem. Miſericordia ejus nos amplexa noxas reprimat & ab omni anguſtiâ eripiat vitam. Abſolutâ vindemia ablaqueantur vites. Sic per æſtatẽ de ſtirpe enatæ radiculæ nudantur, quæ longius â matre ferro recidendæ; Ne convaleſcentes inferioribus ſuccum ſubtrahant, ſummâq; hæreat terrâ Vitis, frigoribus poſtmodo æſtuiq; obnoxia. Antequam tamen frigoris ſuſpecta Hyems ingruat, facti lacuſculi terrâ exæquandi ſunt.

Hoc circiter tempus hiſce locis Turdi ſe referunt, quos auctum-

nali æquinoctio redire Varroni placet. Hyemis autem confinio & Decembri Menſe per fœcunda baccis virgulta turdis laqueos expediendos Palladius cenſet. Hi cum ficedulæ, galeritæ, merulæ & aliæ aves parcius obveniunt, turmatim myrtheta Juniperiq; fruteta ſequuntur, Aucupantibus dulciſſimæ prædæ; Quorum inſidijs objecti, ex quo pretium rebus faſtidia quotidianorum fecere. Namq; non laqueis tantum ſuſpenditur hoc genus ſtatim menſis inferendum, ſed & retibus, quæ cooper toria vocant, per frondoſa jugera vivi capiuntur, & Ornithoni Turdi includuntur, beneq; ſaginati promuntur. Veterũ memorabi-

rabilis circa Aviaria cura fuit, cum delectationis quædam causâ constituerent, quædam fructus. Nonnulli utrumq; junxere, quod Lucullum in Thusculano fecisse M. Terentius testatur: Ubi in Triclinio cænans; alios in mazonomo videbat coctos; alios circa fenestras volitantes. Cæterum Turdaria, utpote usu præcipua impensâ majori struuntur, facta capaci testitudine aut peristylo, tegulis retiq; tecto, in quo millia aliquot Turdorum nutriri possint. Immissa aqua potui angustis canalibus serpat, ne abundantia inquinet aves, lutove vexet. Tantum per macerias laminis admiscendum, quantum cibo sessioniq;

niq; inveniendis ſufficiat. Nulla
feneſtris arbor, volucrisq; objici-
enda, Quod viſa, incluſas liberta-
tis deſiderio macerent. Cibi ê fi-
cubus aridis pinſitis polline,
myrthi aut Juniperi baccis, lenti-
ſci & oleaſtri ſeminibus præben-
di, canaliculiq; milio, firmiſſima
eſca, repleti apponenti, ut pin-
queſcant citius; Faſtidioq; viciſ-
ſitudine medendum. Vetera-
ni ſemper novitijs intervoli-
tent, ut mæſticiam carceris miti-
gent captis, conſuetudineq; alle-
ctent. Qui macello aut men-
ſæ deſtinantur, pinguefacti in ſe-
cluſorium ſecernuntur, & ven-
diti reditus non contemnendos
Altori contulere. Apud Ro-
manos ternis ſæpe denarijs em-
ptos

ptos singulos, cum triumphantes populo epulum dabant, allegatus Varro memorat. Quæ quotidiana pretia succedens nepotum luxuries effecit. Atqui voluptati destinatur Ornithon in Nemoris Hortive consepto Quadrata aliave forma ponendus, ut tectum in umbonis concinnitatem ascendens, formoso apice claudatur. Mox reti, nervis aut ferreis filis muniendus. Prospectus ad campos arboresq; sit, quo avium cantratriciũ chorus, ut sũt lusciniæ, merulæ aliæq; impensè delectantur. Quidam disparatis caveis, Ornithonis spacia secernunt ad volucrũ differentiam, intusq; arbusculas humiles ad inductũ tenuẽ rivulũ canali-

diſtributum alunt, quibus inſideant aves captivitatis oblituræ. Ut plurimum autem Aviariorum hæc voluptas porticibus, exedris, aut pergulis admoveri ſolet, convivas aſpectu cantuque exhilaratura. Qualiter & ſæpè nominatum Varronem Aviarium ſub Caſſino eleganter diſpoſuiſſe, ex Re ipſius Ruſtica comperimus. Porrò fructus causâ frequentius loca avibus deſignantur, ubi oportunè habeantur. Neoſſotrophia imprimis pollent, quæ & uſui Villæ & decori ſunt, amænitateq; ſtructuræ Patremfamilias oblectant. In his Anates, Querquedulæ, Boſchides, Phalerides, ſimilesq; ſtagnis paludibusq; lætæ volucres, aluntur.

tur. Mediocris verò planicies maceriâ circumdatur, superne clatris aut reti clausâ, quæ ab egressu domesticas aves, &, ne involent, milvios accipitresq; prohibeant. Media parte spacio conveniens lacus defoditur, paulatim clivo subsidens, cujus ostium, qua unda influit, signino opere sternitur, ne violentia illabentis undæ ora convellat. Stagni circuitus lapidibus & tectorio munitur, ne tardaturas nantes herbas evomat. Media lacus pars, iterum terrena fit, colocasijs similibusq; herbis consita, quæ avium receptacula inumbrent. Placet & in sylvulis Tamaricum aut sirporum immorari, quæ media in insula luxurient, &

quæ circum ambitus vacet. Ut cum apricitas Diei ad luſum aves invitat ſine obſtaculo nandi velocitate geſtiant. Nam & commeandi libertatẽ amant, & latebras quibus abdi, latentiaq; animalia ſectari poſſint, quærunt. Capacitas itidem loci, gramini ſua ſpacia tribuat, quod â ripa ſtagni ad maceriam penè vireat. Maceriæ quadrata cubilia tentorio incruſtata junguntur, quibus nidificent aves. Ea interſitis buxeis aut myrteis fruticibus integuntur. Sed & humi canaliculus deprimitur, per quem cum aqua cibi decurrant. Fæturæ ſtudium Martio illis & ſequenti Menſe ut reliquis avibus. Tum ſtipulæ feſtucæ & ſurculi, paſſim ſpargen-

gendi, quibus nidos struant. Sed cunctantius sylvestres in custodiâ fætant. Quapropter ova circa paludes colligenda, cohortalibusq; gallinis subjicienda. Sic mitescunt exclusi pulli consuetudine, clausiq; haud ægrè progenerare comperiuntur. Pari successu Phasianis cortes, columbis loculamenta & Pavonibus Numidicisq; Porticus constituuntur, ut quoties usus poscit, dapibus vel censui suppetant. Quæ sigillatim compendia Agrestis disciplina Cultori præscribit.

CAP. XXV.

CAP. XXV.

De Auctumni opulentia & Pithoegijs.

JUgis profecto Ruris felicitas, non opulentiâ ſolum, ſed & delicijs ſpectata. Auctumnus verò cumulatiſſime cuncta præ cæteris Tempeſtatibus Anni promit, tam quos Rura & Horti fructus tulere, quam quæ nemora, lacus aut Villa de venatione & altilibus produxere. Quæ macella ſtato hebdomalis Mercatus conventu, affatim exponunt; Qui à Romanis initium ſumpſere. Cum enim principio Urbis in Agris proceres agerent, ê terra victum quærentes, nono quoq; die

die per Viatores in publicum conſilium accerſebantur, Unde Nundinis nomen. Inſtituti hac occaſione Mercatus, uſu exigente, quibus agreſtia oppidis Urbanaq; Ruri communicata. Qui nunc toto orbe fermè hebdomadatim celebrantur. Auctumno autem imprimis excellunt, quo ſummâ in copiâ univerſa Ruris bona Urbi importantur. Huc armenta, huc greges, prima luce pelluntur; Huc poma & pyra vehuntur. Stipantur plauſtra omnigeno Villæ proventu, & quæ ad Urbem via ducit exercitu quodam commeantium fervet. Exultat Civitas nuudinantium occurſu, & lætatur bonis, in conſpectum veni-
ente

ente totius penè anni proventu. Hic hortensia explicantur, alibi uvæ & mella venduntur. Mox venationem Taberna exponit; Pendent ficedulæ & Turdi, lepus aut attagines. Non capreæ desunt aut Cohortales aves, palustrisve anas. Alacris ubiq; Contentio, hoc uno, alio aliud præstinante. Nunc Capi, nunc Anseres, dein Verveces poscuntur; Intervenit bovem fune ducens, vel Majalem trahens ad lanienam. Multitudinis promiscuæ voces, gratissimo tumultu urbem miscent. Quoties beatæ his pacis divitijs intumescens populus concessa non agnovit bona, contemptu luxuque insolens. Hinc accersitæ vitijs clades incu-

buere

buere, secutæq; vices infandis calamitatibus, mortalium ingratitudinem afflixerunt. Hæc Sodomarum Babylonisq; fata fuere; Hinc Gabaonitarum strages, infinitæq; aliæ populorum plagæ. Quantum præstat frugalitas futuri provida, & insperatæ inopiæ superflua reponens; Ut Josephus reservatis è fertilitate frumentis, septennalem Ægyptiæ famis vicinorumq; necessitatem prudenter explevit.

Insequitur November rigidiore cælo immitis, sed nec oblectationum exsors, quæ à lapsis Mensibus transmittuntur. Et novo propemodum Mense liberalibus hospitijs indulgent.

Mor-

Mortales, invitante S. Martini celebritate, quem conſpicua in egenos pietas inter Divos evexit. Nec dubitem, antè temporis felicitatem cultam, ſuper Vindemiâ gratitudine exoriente, cùm nova primum vina libarentur. Propēdere eò & Gentiles divinis beneficijs provocati: Athenienſes hoc Menſe Vinalia feſta celelebrabant. Pithægia nuncupata, in Lenæi Dionyſij honorem, Et in hilaritatis tum commerciu ſervos & Mercenarios acciebant. Reliniebantur enim muſto plena dolia, ac proinde, factare divina, Dionyſiaci doni uſus omnibus promiſcuè patebat. Innoxiã tum ſalubremq; ipſis fieri, medicamenti hujus potionem, teſte Plutar-

Plutarcho, comprecabantur. Nunc continuata pietas, stato die hilaritatem effundit, durante moderatis gaudijs favore. Qui luxui intempestivisq; contubernijs negatus.

Equidem in memoriam redeo felicium temporum, dum hæc scribo, Quæ Judaici populi Casus varia vicissitudine consequebantur. Nunc cum ex hostibus celebris illos victoria maneret, vel post longa exilia, protractæq; captivitatis squalorem Patria reduces videret. Ut fleverit præ gaudio populus, cum antiqua sacra, cum legem & fœderis arcam repeteret. Ut Tabernaculorum festum infandâ, sed sanctâ hilaritate celebrarit, sacerdo-

tum

dotum voce ad gaudia invitatus; Qui Præconum more proclamabant: Dies ſanctificatus eſt Domino DEO noſtro, Nolite lugere & nolite flere. Ite & comedite pinguia & bibite mulſum & mittite partes his, qui nō præparaverūt, ſibi: Quia ſanctus dies Domini eſt, & nolite contriſtari. Gaudium etenim Domini eſt fortitudo noſtra. Egregium profectò læticiæ Exemplum, qua Dei benefacta expendenda; Quem triſti moroſoq; culti non dele-

delectari, tot feriarum dedicatione manifestum est. Dummodo lascivia absit, interq; concessas delicias, severitate Catodometur. Sacrificia priscæ legis, sanctis epulis transacta; Quæ tristicia contaminare nefas erat. Obstitereq; semper Pij inter placita Mundi affectibus, ne luxu insolescerent. Tantum poterat moderatio morum integritate sustentata.

Abraham cum Isaacus filius ablactaretur facto Convivio, lautius genio indulsit. Josephus Ægypti Princeps, cum fratribus, largiore Vino Regni curas solvit, Tobias Junior nuptias cum amicis hilares, sed in Dei timore celebrabat. Qui si temperet convictus & causa læticiæ sit, levitati locus non vacat.

CAP.

Cap. XXVI.

De Lini & Cannabis præparatione. Dein altiliũ Cura & Lignatione. Mox fugacitate vitæ.

Porrò rei familiaris usus, cannabi, junco & Sparto idonea quoq; loca aſſignat, ubi funibus, maculis, retibus & plagis utilis materies generetur. Linum imprimis neceſſaria humano corpori velamina confert, cujus cultura ob id Matresfamilias impensè delectantur, patientiſſimæ laboris, quo tractandum antequam impendi poſſit. Et Apulejo referente, Orphei & Pythagoræ

goræ ſcitis inter optimas fruges, quæ terra oriuntur, lini ſeges computata eſt, ſacerdotumq; amictui & rebus divinis, velamenta linea, ut mundiſſima deſtinata laneo, ut profano veſtitu, proſcripto. Magno itaq; ſtudio, ob uſum præparatur; Propiore verò hyeme, fermè in ſtatum redigitur. Cum quod à Ruris laboribus hactenus otium negetur; Tum quod ex intervallo ſuccedentibus operis indigeat. Primò enim erutum paludibus maceratur, modicaq; putredine coquitur; Hinc ſiccatum ligneis dentalibus frangitur; Mox flagris penitius domatur, donec crudior membrana decorticetur; reſiduæ poſt fibræ carminantur,

pectun-

pectunturq;, ferreis hamis in tenuissima fila tanquam capillamenta sparsæ; Et tum deniq; colo aptatur telis domesticis necessitatibus suffecturum. Hinc familiæ amicula, hinc lectisternijs involucra stragula & lodices, hinc mappæ & mantilia fiunt, Mundumq; domus & ornamenta, telæ egregia concinnitate ministrant. Quarum pretia, Batavæ nurus & si qua præterea solers natio tænijs, reticulis redimiculisq; exquisitissimi operis amplissimè ostendunt: Taceo Linum Asbestinum seu vivum, cui toto orbe principatus olim tributus. Hinc facta tela in ignem valebat, Qua Regum cadavera invo-

involuta cremebantur, ne reliquo cineri collapsa compages misceretur, flammisq; purgata magis nitebat, pretiossimis margaritis valore æquata. Par pene Bysso dignitas subtilissimo Græciæ lino. Nec Carbaso ex Indiâ advectæ telæ minor: Quas pretiosissimas quondam fuisse Plinius memorat, Post minus curiosa ætas, ut alia plura perire sustinuit.

Cum extremi sub occasum Auctumni dant sylvæ arbuta, Porcorum greges pinguescunt, sylvestri pabulo læti. Nam & nemorum spatia Chaonijq; fructus carnē laborant suavius, quã cum saginaria socordes claudũt.

Et

Et aprorum plurimum naturam induunt, hoc cum victu sylvescunt libertate parum etiam â venatione alieni. Ac proinde qua quercu, ſubere, fago, cerris ilicib⁹ corylis pomiferisq; ſylveſtribus alijs, ut arbuto pruno, cornu & pinu locus frequens eſt, optimè paſcuntur. Et ſucceſſivè mitescente arborũ fructu, toto pene anno ſaturantur. Qua negatur commoditas, per æſtatem promiſcuè per campos paſcuntur. Paluſtre tamen ſolum ſitienti præfertur; Ubi umbroſior locus, quiq; meridie fervente pecus defendat. Illic & in luto volutari, perq; ſtagna, huic generi gratiſſima dulces ſcirpi, junci & cannæ radiculas conſectari vel lum-

bricos eruere licet. Poſt demeſ-
ſis frugibus, cum æſtas intepeſcit,
ſtipula cæteriſq; leguminum
frugibus caducis aluntur. Noviſ-
ſimè ex Horreis, largiore victu
ſaginantur & de manu ſemper
datur. Objiciuntur &, ubi fun-
dus præbet, vinacea, ſiliquæ & fe-
ces, ſi negent cibos nemora, quos
non uſq; quoq; quotannis pro-
ducunt. Glans tamen reliquaq;
ſylveſtria poma, quando ſuppe-
tunt, omnino præſtant, & jucun-
diſſimum carni ſuillæ ſaporem
conferunt. Quapropter dum
licet per Querceta paſcuntur, cu-
ſtodeſq; & moloſſi Gregi addun-
tur, ne luporum rabies deſtitutis
obſit, jam tum nocturnis furtis
prædantium. Pruinoſas no-

ctes, accensa ornus mitigat, cui circumfusi subulci fiiscellas scirpeas, aliaq; usui futura vimina, nectunt, ne desidia otium corrumpat. Supra autem quam credibile, apud Priscos suillum pecus æstimatum. Adeo ut immolandi initium, Varro ab hoc genere sumptum putet. Et initijs Cereris, & cum fœdera inibantur; Deinde & nuptiarum initio ab antiquis Regibus & sublimibus Viris, Hetruscis ut & Latinis Græcisq; in Italia immolatos porcos, idem memorat. Imo & Græcis olim ab imolatione sues & sacres antiquis Romanis decimo à partu die, ad sacrificia idonei porcelli dicebantur. In virginibus deniq; naturã qua fæminæ
sunt

ſunt porcā nutrices appellabant.
De cætero ſum̃is caro in delicijs
habebatur, (ſumina præſertim
& vulva porcarum) quam ad e-
pulandum â natura donatam
cenſebant. Quod anima porcis
pro ſale data ſit, qui carnem ſer-
varet. Itaq; ipſi ingenti cura
hoſce greges tuebantur, & ali-
unde, ubi excellebant, coeme-
bant. Gallicas autem ſuccidias,
cunctis alijs prætulêre, quas eti-
am Cato commendavit. Et
quotannis, Romam pernæ to-
macinæ & taniacæ & petaſiones
ê Galliâ apportabantur. Nunc
Lombardici, ubi Caſtanetis
greges lætantur, præcellunt,
deinde VVeſtphali petaſones,
& promiſcue quos Saxonia

miniſtrat appetuntur. Sed vulgò ſuis quæq; Regio ſuccidijs contenta eſt, bonitatem ſaginæ dexteritate conferente, quâ res nunc domeſtica plurimum pollet.

Sed & urgenti Brumæ, ſylvarum ſtrage ſubſidia paranda. Quanquam Paterfamilias prudens, tempeſtivius lignile inſtruat, ut ſiccari robora ante uſum poſſint; Quo minore fumo cum foco vaporarijsq;, pabula miniſtranda obſint. Sæpè tamen aliæ occupationes huic rationi obſtant, differuntq; lignationes, Meſſis Vindemiæq; præcipitati labores. November otia indulget, quibus cædi ſtipites queant. Rigor tum aliqualis operarios urget, ut gnavius inſtent labori & de-

& delectat induſtrios per Quer-
ceta errans ſuum agmen, glandi-
bus ferox; Hic roſtris luctantur,
pabula ſcrutantur, eruuntq; ce-
ſpites; Fragore cadentium arbo-
rum, vel defluentium Comarum
territi diffugiunt, & mox con-
currunt. Porrò non domeſti-
co tantum uſui proſpexiſſe ſatis
eſt, ſed & ſi ſylvarum vaſtitas pa-
titur, venditis lignis, reditus Præ-
dij extendere licet. Ita tota ſæpè
hyems impenditur, & cæſa fiſſaq;
ligna ingentibus ſtruibus ere-
cta ſiccantur; Poſt vehibus, cum
via favet, vicinis oppidis inferun-
tur, vel, qua loci oportunitas eſt,
æſtivo tempore per torrentes de-
vehuntur. Inprimis ſi ſalinarum
beneficium, natura loco indul-

 ſerit,

ſerit, copia ingens lignorum requiritur; Quibus pretium conſtituit visfocorum, qua ſalſugo in ſalem cogenda. Præterea cereviſiæ coctores, Piſtores & omnis urbana multitudo, lignis indiget, quibus borealibus præſertim plagis hyemis acerrimæ ſæpius algorem frangant. Quo nunc defuncto Auctumno abeundum.

Sed mihi, in hoc argumento verſanti, vitæ hujus mortalis fugacitatem, fragilitatisq; humanæ figuram, Annus ſubjicit, & almum quæ rapit diem hora. Ut enim temporum, ſic & vitæ irreparabilis eſt curſus. Nunc Ver viget, hinc æſtas efferveſcit, Mox Auctumnus remittit, tandem iners

ers Bruma recurrit. Pari modo Infantia perit, Adolescentia dif-fluit, stata Ætas flaccessit. Optimâ quâq; die fugiente, succedit languor & labor, tandemq; Mors ipsa effætis incumbit. Fluxa adeò est ætas textorij more radij vo-lans: Mira celeritas persequitur humana; Umbra est fumusq; vi-ta, tam pernici fugæ objecta. Tor-rentis instar labitur, herbamq; refert momentanei floris, quem aurora provocat, vesper premit. Primo ævo cum vegetior natura Mortales produceret, in longum trahebatur Vita, nec minus tan-ta dierum moles vanescebat. Mox pauciores pejoresq;, Jacobi judicio secuti, nõ æquavere dies Patrum quibꝰ peregrinabantur. At quæ nunc temporũ velocitas

cum breviore longe gyro ætas arctatur. Sed in tanta Ætatis festinatione, incertitudo periculossissima est. Parca illi spes superest, quem in rupis præcipitio vestigia ægrè tenent, aut in maris præruptâ crepidine, immanes circum insaniunt fluctus; Minor est in vitæ hujus scopulis hærenti fiducia. Cui fragilitas novissima semper objicit & impendentis termini necessitatem. Prudentem fugere non potest mortalitas, cujus semina trahit, assiduo sensu casuumq; frequentiâ, quot quot eunt dies, memoriæ objectâ. Panni quippe instar caro atteritur, jam ex prisco pacto morti destinata. Et ut comæ formosæ arboris jugi vicissitudini objacent,

cent fugientibus his alijs prodeuntibus; Sic hominum alij cadunt, alij nascuntur. Hunc insidiæ, hunc latrones & vis aperta, conficit, alium ruina sepelit; Alium aquæ aut ignes infinitæque mortes aliæ tollunt. Tanto discrimine obsidetur vita: Momentanea, ætatis fugâ, nulla, casuum inconstantiâ. Nullum securitati spacium est. Cursus ætatis brevis est vitæ brevior ætatis sæpe ingressu interceptus. Hinc somno nugis & fabulis, vel si quid vanius est & fugacius, æquiparatur. Quæ indies recolligere, prima merito sapientia judicanda. Communi nempè omnia occasu comprehensa sunt, cui natura subjacet, cujus portio sumus,

mus, ne nos lateat infirmitas, â quâ finis pendet. Mens sola æterna est immortalitate divinitati ipsi confinis.

CAP. XXVII.

De Hyeme natura ejusdem & occupationibus.

HYems novissima Anni tempestas est: Cum Natura rerum cultum, quo orbem vestiverat, subducit: Humus viroris nuda, arbor comæ; nulla nemorum umbra est; Cælum nubilum, Aer Aquilonis flabris horrescens; Sterili omnia facie caliginosa. Agricola villæ inclusus focum amat, pecus stabula, nec Rus, vastato decore, ut solebat, ridet. Ita sua omnipotens Pater

ter etiam naturæ partitur otia,ut vi brumalibus inducijs collectâ, res hæ teneræ immiſſum ſemel laborem ferre poſſint,delectetq; viciſſitudo,nunc floribus, nunc fruge, deinde pomis & mox uſu fructuum Anno formoſo. Hyems autem frigida & ſicca eſt, cumq; ſenectâ, nocte, & Terra ex Elementis Vulgo confertur: Ver quippe Pueritiæ, Auroræ & Aeri collatum, humidum calidumq; ab Aſtrologis ſcitè judicatur. Aeſtas juventæ, Igni & Meridiei correſpondet, calidaq; & ſicca habetur. Auctumnus ſtatæ ætati Veſperi & aquæ comparatur, jureq; humidus & frigidus dicitur. Geminus nempe humor eſt; tam ad geniales uſus aptus; quam

quam marcoris patiens. Siccum autem perperam Auctumnum, ut & Hyemem humidam censeri opinor. Siccare enim frigus potius, quo hyems riget, quàm humectare in aquis evidens est, hyberno gelu consistentibus, cujus intensissimi constantiâ Crystallum durari, fide digni asseverare non verentur.

Cæterum initium accipit Bruma cum Capricornus solem contubernio excipit, Quem Mensem Antiquis Decembrem dicere libuit. Huic parti totus annus servit, cumulataq; lapsis Mensibus ubertas camporum sterilitatem expiet. Huic prata, Horti, arva, collesq; vitiferi fructus ponunt. Huic glande sues læti re-

ti redeunt, huic omnis generis altilia pinguescunt. Nunc partis fruendum; Hyems de transactis laboribus triumphat. Ceu cum portum subiere naves, casuum securi nautæ lætantur, & antemnas malumq; coronãt. Hinc genialis dicta, quod remissionis suavitate convictuumque frequentiâ fessos reficiat. Et â Romulo jam Brumalia instituta legimus, quibus hyeme senatum convivio excipiebat. Ergò Patribusfamilias penuariorum modo culinæq; cura est. Ac salsamentis, durarisq; aêre piscibus tempestivius domui prospexêre. Nunc Boves, nunc verveces, Majalesq; mactare tempus est, minus frigore carnibus noxio,

quam

quam ſi mitiore anno intepuiſſent, graveolentiâ mox corripiendæ. Ex eo Matrum familias ſtudia eminent, cum ſubitaneis epulis Lucanicas, tomacula, tuceta & botulos concinnant. Sed ſalſura carnibus plurimum confert; Nam & tota hyeme muriâ maceratas ſervare licet. Pars ſiccatur, donec crudis fumo abſumptis humoribus, tutò per carnaria digeri poſſint. Illic petaſones, Coxæ, ſuccidiæ detrabibus pendent, ſuccedunt anſerum partes, Mox abdomina & ſevum locupletis Villæ honeſtamenta. Magni quidem nunc Orbis cultus abeſt, Terræq; quieſcunt; At oporothecæ, promptuaria, Horrea & cellaria totius Anni proventu

turgent. Et qui ridente naturâ aures mulcebant avium chori, nunc hyemante Cœlo palatum placant. Longioris noctis tenebræ, denſius hyeme incubantes, facum ſubſidio illuminantur, tempeſtive è ſevo vel cera fictis candelis. Sed conditurarum genera, quibus herbæ radicesvè ſalubres matronali ſedulitate, præparantur, rerumq; auctumnalium compoſitiones, vindemiam ſecutæ, non modica Rei familiari ornamenta ſunt. Sic Cichorij, ſic Inulæ ſiſerisq; radices ſaccharo vel melle; Aliæ aceto ſaleve condiuntur; Sic lactucæ alijq; caules conſervantur. Porrò & è re eſt Cydonea Mala, ſeſtiana, melimela, granata, Citria, aliaque ſalgama dolijs ſerijs

fictilibus ſcrobibus & ficulneis folijs â corruptione vindicare, liquidiſſimove mergere melle lautiora decoratura convivia, febricitantibusq; profutura, quibus ſine noxâ dari conſuevere. Cæterum non dapium duntaxat lauticiam, ſed & peritiam ſolertiamq; Matrisfamilias hæ curæ egregiè commendant, ſi penus talium rerum varietate referta ſit. Si caſei ſapidi in promptu ſint, herbis aromatibusq; conditi; Si pyra, mala, ſi olivæ & ollares uvæ, ſi rapa, oxigala, oxigarum, ficus aridi paſſumq; habeantur. Quibus, quamvis minutis rebus, atteſtante Columella, humano victui tributum quaſi quoddam conferre, cum â bellis

otium fuit, Magni scriptores Pœni, Græci, Romaniq; non dedignati fuere. Rusticæ autem simplicitati sufficiunt, quæ ex facili quâq; plagâ sine magna impensa contingunt.

Cap. XXVIII.

De tritura, Granarijs & hyberna ex pecudibus oblectatione.

DE cætero Brumæ frugum tritura convenit, quam Vindemia, aliaq; Auctumni studia hucusq; distulere. Assiduus tum Villas labor exercet, ut grana spinis excussa, Vitæ præsidijs reponantur, cui omnis rusticatio con-

confert. Olim equis terebatur frumentum; adhuc Italiæ superstite more. Qui si pauci tribulis trahisq; additis facilimè culmi minuebantur. Fustib⁹ tamen aptius tundi spicas, receptum erat. Nunc flagellis, quatuor pluribusve in numerum quatientibus, expeditissimè grana solvuntur. At paleis immista vento separanda, cui operæ Favonius ut lenis à priscis convenientissimus habebatur, & æstivus præsertim ejusdem flatus; Sed opperiri nocuit, sæva interim ingruente Bruma. Ac proinde profuit exaggerare frumenta per aream omni vento objecta, quo excernantur. Vannis autem purgantur tutissimè; Quod nec Ven-

Ventorum ſegnicies operam tar-
det, neć tranquillitatem inſecu-
ta tempeſtas ſpem fruſtetur. Mo-
dicæ verò auræ ſiventilationi
ſubveniant gratiſſimus labor eſt.
Sed in annos recondenda fru-
menta, exactiſſimè primo re-
purgari debent, antequam gra-
narijs inferantur, Quæ quo puri-
ora, eò minus â curculionibus
vaſtantur. Porrò utile Ruſtica-
tionum peritis habitum, triti-
cum ſimiliaq; farra ſublimibus
condere Granarijs, qua Eurus
Aquiloq; pervadat, quæq; nulla
aura, humore inimica, ê viciniâ
infeſtet. Solum & parietes opere
tectorio incruſtādi aut argillâ mi-
ſto frumentorū acere & amurca
ſolidandi; Sic nec murē nec ver-
mē patientur, granaq; durabunt.
Qui-

Quibuſdam amurcâ chalcidicâ, caricâ, aut abſynthio aſperſiſſe triticum ex uſu fuit. Nonnullæ gentes, ſub terra fruges condidere, Quales Cappadoces Thraceſq; & etiamnum Hungari, ſpeluncis, quas olim Syros vocabant, ſubſtrato paleis ſolo, in granaria aptatis. Sed hi ne humor aerve tangeret, cavebant, gnari, quo ſpiritus non penetrat curculionem non naſci; Sic plurimos durare annos Ceres comperta. Nos ſublatioribus vulgo Granarijs ſtudemus, quorum latera feneſtris aperta ſunt; Ut venti ad placitum admittentis permeare, âq; ſolo ſubtus regyrare poſſint. At uſui protinus deſtinata frumenta, tantâ curâ repurgari nihil attinet, ſufficitque in

in umbrâ refrigerata recondi. Par leguminum quæ superiorum cura, nisi quod cinere perfusa olearijs vasis optimè servari, experti dictent. Atq; ita demum Paterfamilias veros industriæ fructus creditiq; fœnora capit. Hinc divitiæ ingentes, sed justæ; Cum urbibus Portuum hospitalitate & commercijs peregrinorum celebribus frumentum communicatur. Ex hoc proventu Sarmatarũ præcipui splendorem, opesq; tuentur, Qui Genti isti insignes. Hinc vicini nõ vivunt tantum, sed & ditescunt; Adeo frugum ferax ager, ut dissitarum quoq; terrarum inopiæ, sine Indigenarum dispendio, annona sufficiat. Quæ dispositio

tio ſapientiſſimi Creatoris Conſervatorisq; Rerum providentiâ inducta; Qua terræ non omnia ferentes mutuam indigentiam ſupplerent. Equidem divitiarum innocuas acceſſiones, laborumq; honeſtatem, jugi oblectatione mixtam, facile arcere crediderim faſtidia, ne ſordeat vita tam ſincerâ pace beata.

Sed hyberno tempori pene æſtivâ major, ex aſpectu per aream promiſcuè errantium pecudum voluptas eſt, cum ſereniore cœlo ſtabulis emittuntur: Cum Meleagridum greges, Pavonum, Gallinarumq; ad objecta cibaria concurrunt; Cum boves laſcivæq; juvencæ ſuſpenſa paſſim fœna trahunt: Tauri mugiunt,

Equi-

Equulei per nivem diſcurrunt, ſues ad aqualiculum ſorbent, aut plenum villicæ ſinum ſequuntur ſuculæ. Laſcivit vagans pecus, cœli libertate poſt cuſtodiam lætum. Oves balant, Hædi cornibus concurrunt, Rhodij gallinas premunt galli, eruuntve fimeta; Hinc turtur gemit cereus, aut columbæ circa turrium loculamenta plaudunt; Mox facto agmine per tecta ſparguntur, intentæ cui ſe gregi ad pabula miſceant.

Hinc morſus concertantium, & in vanos ſæpè conatus effuſa ira. Hæc ſecurè arbitratur Fundi Dominus, nobili ſpectaculo, innocui certaminis delectatus. Quibus tranquilliorem

adeſſe

adesse animum reor, quam quos Circi Theatrorumve ludi juvabant; Si bestijs objectus verna frangebatur, aut Pyctes cadebat. Intestinis hæc supplicijs quæsita delinimenta, quibus pertæso luxu, crudelitate, aut nil profutura vanitate parentabant.

Satiatus ludicris Paterfamilias rursus seria obit, suis pariter solatijs plena: Nunc granaria explorat, nunc Horrea aut fœnilia; Mox fœtus equinos, aut vitulos cortemq; lustrat, increpitans familiæ, si qua deprehensa, negligentiam. Ipse pabula curat, Armentorum Gregumq; observantissimus; Ipsius præsentia saginat Equum, absentiam damna sequuntur: Structuris ruina, Gra-

narijs

narijs fures, frugibus situs mucorve incuriâ metuendus. Oculus nempe vestigiaq; Domini tam Agro quam Villæ res saluberrima, cujus nec otia patitur Res familiaris, cum defuncta laboribus natura rerum otiatur.

CAP. XXIX.

De Natali Dominico & ejusdem suavitate.

SUpra omnia verò Brumam sanctissimâ dulcedine Dominicus exhilarat Natalis decedente Decembri orbi celebris Sed Agrestibus præ Cæteris solemnis, quos in desperatâ penè seculi vecordia, primos tam immensa felicitas respexit: Contabuerat ex-

pectatione Genus humanum, languente ſpe Boni; Quod differri videbat, variaque perplexi agitabant, Mortales; Lœtior præterea facies hyemali torpore, etiam noctis obſcuritate abſceſſerat, & inter Gregis curam vigilias cogitationesque trahebant Paſtores; Et ecce diſcuſſa caligine errantiũ noctis & mentis exoritur ſerenitas, longe creaturarum jubar ſupergreſſa, lætitiâ redundans, præ temperaneſoruum gacitate duratura. Nox auguſta & im̃enſæ claritatis prodigio ardens, lucis producit Autorem; Nox felix, tot olim votis fatigata: Hæc remotiſſimo ſeculo Patriarcharũ, hæc ſancta poſtmodo Regum, hæc Prophetarum,

rum, erant desideria impatientiæ plenis vocibus effusa: Qua cœli rorarent desuper & nubes pluerent justum, Qua aperta terra germinaret Salvatorem. Tot causa votorum Nox naturæ tædia infandâ luminis amænitate discussit, exhibitâ salute Mortalitati memoranda; Quam præsentem Domino Carissimo Generi Agrestibus Angelus indicavit. Nec temerè fit, quod exultationis pleno affectu cumulata tot gaudia Divinus Præco deducit. Nolite, inquit, timere, Ecce annuncio Vobis gaudium magnum quod futurū est omni populo.

Natus enim eſt vobis hodie ſalvator, Qui eſt CHRISTUS Dominus in Civitate David. Omnino ad ſecuritatis fiduciam facta oratio, cujus Orbis exemplum non habet. Nolite timere: Clementia Dei vicit iram, quæ longo vos timore exercuit; Non jam urget pernicies tot ſeculis animabus intentata: Nolite timere: Conjunctum jam illud Par, quod capitali diſcordiâ diſſidebat, Deus & Homo, in æternum non ſeparandi. Hinc Gaudium illud Magnum: Verbum Caro factum eſt. Ut amiſſam in Homine DEI imaginem inſtauraret, Hominis imaginem aſſumpſit DEUS,

& quam

& quam ſcelera infeſtabant carnem, induit, ut purgaret. Magnum! Et quod Majus dari poſſet gaudium, quam DEUM Hominis cauſa fieri Hominem. Homo DEUS fieri non poterat, DEUS factus eſt Homo. Magnum! Quia quod concipi non poterat, offenſus noxium; Deſertus deſertorem, DEUS Hominem ſecuritati ſuæ incubantem requirit. Magnum! Quippe omni populo profuturum. Non hoc Judæos tantum concernit gaudium, è quorum ſtirpe naſcitur; Omni populo futurum eſt, & in omni populo omnibus. Paſtores primo ut populares, mox Gentes remotiſſimæ, ſtella duce vocantur, ne dubitent Vicinio-

res, ne universi; Gaudiũ univer-
sale est, Ante Virginis partum sæ-
pè gaudij occasio data, nunc Pha-
raonis jugo subducto; nunc Vi-
ctorijs exultante, Babylonisve
exempto catenis populo; Sed
hoc Judæos tetigit. Romanis
spartanisq; felicitas, victoriæ, triũ-
phi spectacula; Persis Regum lu-
xus gaudia peperere; Sed defini-
ta hæc & vana plæraq; fuêre.

Hoc universos comprehen-
dit, clausurum Mundi Cardines,
mansurumq; in animis homi-
num, famâ rerum, æternitate
temporum. Nam cætera gau-
dia velut parca præscriptus ter-
minus finiet, Natalis Domini-
cus Orbi salutaris, in immensum
suavitatem gaudiaque sparget.

Et ſane ſi ſanctiſſimi Partus acta recolimus, plena gaudij, infinitæ dulcedinis plena omnia. In cœleſtis militiæ Conſortio natus infans ſagit; Puer pera Virgo Creatorem intuetur; Novum ſidus Natum regem deſignat; Cœleſtis Genius admirando lumine circumfuſus, Paſtorib⁹ Salvatorem nunciat: Mox angelici Exercitus circũplaudunt, aperto ludunt ſub Æthere ad præſepe Domini in ſuaviſſimâ luce refulgent, Hominibus intereſſe geſtientes, nova alacritate erectis; Quorum ſucceſſibus ineffabilis gaudij ſinceritate gratulantur; Cœlum Terramq; gloroſo concentu ſuſcitant & exclamant:

GLORIA IN EXCELSIS

DEO ET IN TERRA PAX, ET HOMINIBUS BONA VOLUNTAS. Cœlum se ad Autorem suum demittit, cujus delicias libare Pastoribus hac in Mortalitate licuit, licuit cœlestes concentus auribus infandiq; luminis Majestatem oculis usurpare, coramq; intueri Mundi salvatorem, Infantem inter filios hominum formosissimum, in fœno fasciis involutum; Ceu nubibus immersum solem cum crepusculo diei auroræ ritu exsurgit. Nascitur omnium rerum Creator, pasciturq; qui pascit universa. In præsepi reclinatur, Matrisq; cingitur amplexibus, Quem Orbis non capit. Pauper, vilis,

vilis, humilis esse eligit, in quem respiciunt Angeli; Et in stabulo egentem debita Majestas non deserit. Jam exilium prospicit tener & lacrymas fundit, mox fusurus sànguinem, & huic Æther servit. Stupet præ gaudio animus, nec sufficit dulcedini, sanctissimi temporis solemnitate iteratæ. At potior longè Pastorum felicitas, Qui cœlestibus auspicijs ad CHRISTI cunas deducti; Quos æternitatis fulgor confirmavit, Autorem Redemptoremque Mundi natum. Tantum familiæ Sanctitas valuit, rustica simplicitate servata. Spreti quos vanis Mundi immersos, peritura gaudia destinebant; Ruri quæsiti juxta greges, qui animarum Pa-

ſtorem expectabant. Dedicatum eſt Viri Agreſtes eminentiæ Veſtræ privilegium, ortu humanæ ſalutis; Bruma memoriam renovat victuræ dignitatis, quam ſancto in otio & plena partorum poſſeſſione, ad Salvatoris gloriam, veſtræq; profeſſionis prærogativam toties integrari conceſſum. Sed exactiori hæc meditationi debentur.

CAP. XXX.

De domeſticis ſtudijs, pecudum hybernis & partu.

CÆterum toto hoc tempore, quo aſperioris cœli pervicacia terras claudit, domeſtica, fere curantur quæ ad focum, vel alias in Villa parari poſſunt. Nam aut con-

convulsis opere rustico armamentis, jacturam reparant Agrestes aut nova fabricant. Nunc aratri robur dolant, aut burim flectunt, post aures & Dentalia, mox stivam aptant; Non rastra non plaustra negliguntur. Virgeam supellectilem restituunt operæ: Vimineas crates, fiscellas, nassas; Aut ê Junco sarmentisvè plectunt alvearea Canistra, cohortaliumq; avium nidos. Alius ad piscatum lintrem; Alius pecori canales aut alveum cavat. Penora tractat villica. Sic per hyberna otia, culturæ de instrumentis prospexisse, è re fuit; Ne, cum usus poscit, neglecta lapsarum partium segniciem accusent. Dominum ipsum cum Urbanâ fami-

familiâ venaticâ quandoq; curare non piget. Juvat nunc maculas feris, nunc pedicas avibus nectere, aut retia piscibus. Uxor alia parte cænaculi in puellarum medio pensa trahit, aut facit lanam. Quarum hæc fila glomerat; alia arguto pectine telas percurrit, aut pingit acu. Miscentur fabulæ & cantus, Focus largo igne lucet, spirantq; calorem penetralia. Hortorum munera poma, nuces & Castaneæ, jucunda commercia exhilarant. Placida omnia & suavia procul omni morositate, quam Ruris sinceritas nescit.

Intercedit pecudum cura, exquisitior duriore cœlo, qua temporis quoq; torpor mitigatur.

Quan-

Quanquam enim nemorosa montium convalliumq; rigua, præ tectis pecori dominoq; functâ formositate placuerint; Tamen & hyberna curatio voluptatem ducit. Nam & pastionis peritia & suis quæq; locis distributa cibaria, Armentis gregibusve debita abeuntem præsepia, Patremfamilias non perfunctoriè oblectant. Utut enim familiæ labor sit, Inspectio tamen dispensatioque Dominum ipsum concernit. Quæ nisi in pabuli distributione justa accurataq; sit, nil copiam proficere, damno pecoris deprehensum. Romani initio frigoris validissimis cibis: viciâ circerculâ & prætensi fæno Armenta tuebantur; Nec pale-

as ex tritico, ordeo & milio negligebant. Dabantur & ex freso maceratoq; ervo, lupino & vinaceis alimenta, uti & fabâ fresâ, quoties ex provenru vilitas erat; Quibus pabulis mire roborari pecudes compertum habebant. Hisce plagis fænum, & quæ suppetunt de leguminibus, conferunt. Vulgo etiam siligneas paleas, mox ejusdem frumendi, hordei avenæq; segmina, quod vires juvent, præbent. Sed cum granis incisa prævalent; Interim his quoque excussis non promiscuè strame̅ta negliguntur: Convulsi culmi pecori subijciuntur selectioribus villæ culmina reparantur, partem tremulus capsi fundus, sectoris sirpiculæ ad armentorum usum, subijcit. Nempe vexa-

xatum ſterilitate annum, ſi hye-
mis faſtidia proferant, parcè tra-
ctanda pabula; Ne exhaureatur
pecus, ſi ſumptuoſiorum penu-
ria ſurrepat. Sed Gregum ſolli-
citudo minus etiam inertiam
Domini ſuſtinet: Nam & copia
obeſt, & Villici fraude detracta
pabula cladem avibus intulere;
Quo cautius habendæ. Cordo
autem quod mollius reliquo fæ-
no, deinde repoſitis ulmeis fra-
xineisq; frondibus optime alun-
tur; Cythiſus quoq; cum viciâ
ſativâ, Tunc & freſæ cum ſuis val-
vulis fabæ, maximè per hyemem
profuere. Interdum & arvis im-
miſiſſe oves, quod cum nive va-
cant, fieri conſuevit ad ſanitatem
Domini voluptatem & parſimo-
niam fuit. Sed

Sed matutinis horis intra septa continentur, donec dies campo gelicidia detrahat. Quæ pastionis ratio, primo itidem vere observatur. Quod pruinosa crudioribus diebus herba pecudi gravedinem creet. Pari diligentia reliqua pecora curantur, & ipsa Varietas laborumq; vicissitudo molestiam frangit. Nunc cibaria promenda, nunc ad puteos pecus agendum, mox exploranda stabula, pestisq; quæ consistere solet removenda. Novissimè Corti varijs avibus plenæ prospiciendum. Hic voluptas ex formâ habitu voce & colore est, supra quam inexpertus æstimare potest.

Porrò & Boum partus in Bru-
mam

mam vulgò incidit; Qui quo propius ab hyberno solstitio abest, hoc robustior soboles hisce plagis habetur, sequentium ætatum laboribus suffectura. Fætarum autem cura, toto, quo uterum gerunt, tempore, impensior requiritur. Per Æstatem namq;, per nemora, montesq; ubi virgulta & frons multa, fontiumq; frigidi lapsus, pascendæ; Mox ab occursu impetuq; ferociorum prohibendæ, cavendumq; ne feriantur neve angustius stent. Cum frigora sævire cæperint, bene munitis stabulis claudendæ, frondeq; & stramentis sternenda cubilia, quo mollius cubent; Labori quoq; subtrahendæ fordæ, ne uteri & operis simul

ſimul onere graventur. Inprimis bono cibo ſuſtentandæ, cythiſusq; viridis & ordeum torrefactum maceratumq; ervum præbendum. Tenero olere & commiſto torrido mollitoq; milio optimè confortantur, ſi nec potus de die ſubtrahatur: Cum ediderint, partum calidè habendæ ne algor offendat, reponendaq; juxta ſtabulum pabula, quæ egredientes deguſtēt faſtidij quo vexari poſt partum ſolent, medicamina. Poſt vitulorum cura ſequitur. Hi principio uberibus Matris admoventur, ut lacte convaleſcant, & alimenta trahere conſueſcant, hinc ſtramine fænove, ne frigore laborent, integuntur. Per noctem autem à

Matre segregantur lactentes, ne ab incautâ teneri opprimantur, de die tuto committi possunt. Cum creverint, remotis matribus, viridi pabulo aluntur, donec eo roboris deveniant, ut cum armentis simul pasci possint. Vitulis propiore Vere Hædulì & suculæ succedunt, mox etiam agni. Non modicum hoc oblectamentum temporis squalidioris, tot fætib⁹ stabula implevisse, tenellosq; ad Matrum ubera conspexisse; Discursus lususq; vix natorum notasse. Nec minus eximium divinæ providentiæ exemplum; statim â Matre edita consistere bruta, quib⁹ non spondebatur diligentia, quæ hominis imbecillitatem levat.

CAP. XXXI.

CAP. XXXI.

De Venatu hyberno, Ætheris pulchritudine, Aucupio & piscatu.

SEd nec Nemora hac tempestate, Patrisfamilias solatia destituunt. Nullo aptius tempore Apri vestigantur, canibus in obstantes plagas trusi, vel è lustris magis serio lusu provocantur in objectum venabulum temerario impetu ruituri. Neq; enim audacius animal vitæq; magis prodigum hisce plagis sylvæ sectantibus objiciunt, quam aprum; Ursus circumspectius invasores vitat, lupus fugit; Cervus non nisi moriturus oppressorem quæ-

quærit. At Aper opperientem, vel provocantem immani fulmine, nisi cavet, sternit; Mox incurvis dentibus membra convellit, conculcatumq; ungulis adversarium, ad internecionem fatigat. Non raro canum latera uno ictu aperit, intestinaq; trahit. Plagas etiam perrumpere, tanta vis huic generi, facile est. Ut qui experiri robur agilitatemque tam vasti corporis velit, audaciâ viribusq; promptissimus sit oportet. Atq; ideo minore impendio, bombardis feriuntur, qua volutabra habent, vel cum fætu pabulantur. Traduntur & per saltus, qua iter vestigia prodidere, indagatores sclopos disponere, â quorum festuca, qua
solvi

ſolvi ſolent liciũ per ſemitã trans verſum ducũt; Quod, cum tranſit, apertrahens in ſe tormentum exonerat, lethiferis glandibꝰ noxium; Qua ratione ſine periculo apri occiduntur. Sæpè etiã Cervi venatus, cum tanta nemorũ vaſtitas eſt, hyemam commendat; Quãvis Auctumno nobilior habeatur. Caprearũ verò ſylveſtrium, huic omnino tempori ſolẽnem comperio, nec fefelliſſe induſtrios ſucceſſum, quibꝰ nives frigoraq; refugiſſe mollicies eſt. Solet autem, (præterquam quod canibꝰ retibusq; capiuntur) lõgo tractu ex implexis temerè frondibus ſarmentisq; non adeò alte proſiliens ſepes per ſaltꝰ exſtrui, certis interſtitijs aperta; Ubi de defixis perticis tendiculæ, ſeu ê pillis

pilis caudæ equinæ torti funiculi suſpendũtur, nodo currẽti fallaces; quà cum canibus clamoreq; agitata tranſitum quærit Caprea, deprehẽſa hæret. Qua ſolertia & Apros capi, Gnari docuere. At lepores nunquã tuti, vehementius etiã per Brumam vexati cũ prælatâ nive fugientium veſtigia cedũt à venatico ſæpe & moloſſo capiuntur. Quo cœli ſtatu univerſi tolli poſſent, niſi venantis patientiâ pars generi relinqueretur. Pari alacritate Vulpes aſtutiſſimas Quadrupedum, pelliũ inprimis pretio venari licet. Sed lupos ſectari, damna ſæpiꝰ impulere, quibꝰ ovilia mulctant. Infeſtiſſimus quippe gregibus Januario, famis ingenij que rabie, quo magis hyems ſævit, audaciſſimè prædatur

Via-

viatores etiam indomita fame stimulante aggressus. Quo crudelius tractant captum, Agrestes, exuviis in frigora usuri. Cæterum his plurimum venatibus hybernæ favent noctes, stellarum amænitate illustres, quarum, hyeme imperium ut Æstate solis. Formosissimus tum Æther, & sacro quodam horrore amabilis, præsertim cum Lunæ pleno orbe micantis candor suavissimum jubar spargit, reliquis astris, quasi per puncta sereno cœlo scintillantibus; Quæ ut magnitudine, ita lumine dispares sunt. Juppiter inprimis & Venus benignissima sidera tanta facum claritate Mortales recreant, ut satiari nequeat infanda luminis pulchri-

pulchritudine captus aſpectus. Mars minacibus rutilat ignibus, lividis Saturnus pallet. Hinc utraq; Arctos, & Orion, quibus fixior curſus, Mox Gnoſia ſtella & Andromedæ ſydus; Dein argo & lucidus Anguis, infinitæq; aliæ ſtellæ, ceu ſolis ex adamante repercuſſus fulgor puro micant cœlo & diffuſiſſima cærulei Ætheris ſpacia, almâ lucis amænitate coronant.

Porrô & Aucupij excellentia tempus mitigat, Et perdices exquiſitiſſimas dapes expeditiſſimâ ratione hominum ſolertia conquirit. Uti enim fæcunda avis eſt, ſic numeroſam progeniem, pariendi ordine excludit; Quæ univerſa uno grege ſe con-

tinet, donec verno tempore, fæturæ causâ, per paria ſocietur. Hyberno autem cœlo, paſſim per arva cibũ quærit, vel egeſtæ nivis glomeribus tota familia abditur. Tum auceps deprehenſis naſſas ponit, longis alis apertas, & poſt fictum bovem occultus, perſequitur ſenſim ſparſa grana legentes, intraq; alas retis urget, antequam animadvertãt, imprudentes inſidijs claudens. Sic omnes expeditius illaqueantur, quam cum ſclopis una atq; altera feritur, reliquis imũnibus. Quæ res & timidiores reddit, peritiorisq; artibus pavidas ſubtrahit magis, quam autori conſulit. Si & cervinâ pelle, (cervos enim impensè amare dicuntur,) induatur auceps, facile credentes capit

pit. Magno autē ſemper in pretio habitæ Perdices; Adeo ut in cortibus quoq; Romani aluerint, quo paratas cœnis haberent. Ipſa deinde forma pennarumq; concinnitas & laſcivientium habitus eximiè Altorem oblectat. In Chio adeò cicures inveniri traduntur, ut cum hominibꝰ in eodem contubernio hoſpitentur, primoq; diluculo, â publico convocati Paſtore in agros procedant, & Veſpere domum quæq; ſuam repetant. Capiuntur & alterius generis Volucres, retibus, pedicis & ſimilibus inſtrumentis: Phaſianis in nemorum ſemitis laquei traduntur, qui circa veſperam & auroram ſylvis egreſſos illigant. Minoribus pueri inſidiantur, ne & illis aucupij

voluptas negetur. Sic Paros de-
cipulis, luteolos paſſeresq; reti-
bus obruunt. Parcius namq; ci-
bo jam ſuppetente minus inſidi-
as metuit avis, ſicubi baccas, gra-
na aliaq; alimenta offendit.
Nunc & anates ſylveſtres occi-
duntur, ſi qua paluſtre frutetum
fundi tepore, aut fons torrensve
ſtrepitu glaciem recuſet. Ita nun-
quam ferina deſit aucupij ſtudi-
oſo, ſed & amplius canibus vena-
ticâq; ſupellectile inſtructo.

Deniq; nec Piſcationum Vo-
luptas abeſt. Nam aut perſeve-
rans tepor adſtringi glacie aqu
non permittit, aut obducti lacu
aperiuntur, quam ne ſuffocen
tur, piſces diligentiam poſcun
Tum fiſcellas merſiſſe, ſi cle
men

mentior aer ſit, nec aſperioris noctis metus, ſæpius profuit. Sic lucei, Cyprinilati, alijq; piſces clauduntur. Si frigora inſtent, celeritate obſtacula prævenienda. Vel & concreta per intervalla ſolvitur piſcina circumcirca foraminibus aperta; Quorum maximo ab uno capite rete immittitur, perticarum habilitate ſub glacie tenſum quod totam perverrens undam, peramplisſimam inferioris partis aperturam extrahitur. Sic ingens ſæpe piſcium vis comprehenſa, magnæ civitatis macello ſuffecit. Qui autem Vivario incluſi piſces, tanta cura quærere neceſſe non eſt. Cum omni facile glacie remotâ, ſine impedimento tragulis verri-

culisvè eximi possint. Hi clausis cisternis aut alveis continentur, longo usui suffecturi. Tanta tamq; honesta Ruri commoda sunt, qualia ambitionem avariciamq; exercent, tristissimo etiam tempori ruris privilegio concessa.

CAP. XXXII.

Villcias Oblectationes, Picturarumq; elegantiam adducit.

At solitudo hyberna Ruri opprobrio est: Tristi Mundus vultu horret, cœlum obscurum, nudi montes, amnes rigent. Hic quidem temporum lapsus est, ut defuncto virori, succedat canities anni senescentis, pari squalore

Urbes

Urbes Ruraq; insectans. Sed hic etiam aspectus stata varietate delectare quotannis comperitur. Voluit nempè Creatoris providentia, ut ad delicias quoq; Mortalium conferret non unâ se facie ostentantis naturæ vicissitudo, ipsaq; cœli asperitas Voluptatem haberet. Ac proinde ventis frigoriq; torpentia membra permisisse dulce est; iterumq; alacriorem domum rediisse, & â recenti tempestatum horrore gratiorem cœnaculi Calorẽ invenisse. Ubi libris & amicis indulgere & tutam solitudinem, genialemq; Brumam experiri licet. Mox prospicere de fenestra, sine offensa, quid hyems peccet; Quæ Ruri facies, Quiescente

naturâ. Ut venti prælientur, nix cadat ludentibus flocciſſinuata, ut ſylvæ rigeant, flumina trudant glaciem, ſtiriæq; laborantibus nive tectis dependeant. Poſt villam atriaq; obire: Nunc in ſtructurarum concinnitate, nunc cultu hærere. Poſitis paſſim per pergulas, porticusve imaginibus, armis, Majorumq; ſignis Virtutem accendere. Deinde exquiſitiſſimi operis picturis, omnium deliciarum compendia referentibus, animum oculosq; paſcere. Hic quam foris natura amœnitatem negat, Ars intus ad invidiam promit, revocatque oculos externa deformitate languentes. Juvat inter amicorum conſortia mediâ in Brumâ

mâ Æſtatis benignitate, Veriſq; ornatibus frui, per triclinij latera artifici penicillo ſparſis: Illic & nemora frondes & Horti flores alunt; Salit perennis rivus, æſtum quaſi vitaturus intra arborum umbracula recedens; Natant fluvijs ruſticantes horreſcente ſpectatore, frigoris quod ſævire novit, opinione, Niſi ars mitius cœlum mentita, penè de æſtu dubitare prohiberet. Similis artificij picturam vidiſſe recordor, admiranda amænitate Hortum exprimentem; Qui Palatio ſubjectus formoſo nemore, pulchriſque ambulacris digerebatur. Parte alia exotico flore renidens, alibi cultiſſima viriditate porrectus; Mox vitibus pomariove u-

ber. Sed luci ſeceſſus erat opa-
câ arbore latens, & augebat um-
bram, ê ſerico de ramis ſuſpen-
ſum velum, nitidiſſimo muri-
ce ardens. Fons ſtatuarij operis
ære coercitus, laborantem un-
dam jaculabatur fiſtulis ſub
Nympharum imagine latenti-
bus, largis laticibus ſuffuſo crate-
re; Unde in ſtrati ſoli labrum tu-
mutuario impetu præcipit abã-
tur. Hic ſpeciei inſignis fæmina,
Bethſabee nomine opacum fri-
gus poſitis veſtibus captabat, do-
meſtico virginum famulitio, in
mariti abſentia ſtipata; Quarum
hæc attalicas explicabat ve-
ſtes, multo auro liventes: Illa,
balſamum & ſmigma cum pecti-
ne &

ne & ſpeculo expediebat; Alia Horti fructus, citria poma & uvas caniſtro ferebat; Nonnullæ jam fonti ſuccedentis Dominæ cruribus advolutæ, puriſſimo latice pulcherrimum corpus ſpargebant. Non fugiebat abditis tutior locis curioſi amoris oculos perfectiſſimi corporis venuſtas. F Regiæ namq; ſolario in longinqua ex adverſo proſpectus erat, cui forte inambulans Rex Davides, per arbores, quà umbræ contextus rarior ad fontis ſecreta penetrabat, ilico tantæ formoſitatis incendio æſtuans; Ut vidit ut periit impotentiâ affectuum laceratus miſer. At reliquus tabulæ cultus mirâ varietate ridebat,
& de

& de labro fontis diffuſus liquor hortum fæcundo torrente obibat. Ubi cygnis ſtatio, alijsque avibus, quæ fluvijs delectantur. Aderat & peregrinia anas, exactis coloribus rara. Hic Pavo, alibi Numidicæ paſcebantur, aut Pſittacus frondem occubabat. Nemoris receſſus etiam capream monſtrabat vel lepuſculum. Nec minus papiliones, erucæ & id genus inſecta, folijs hærentia, rariſſima coloris luce placebant. Pari artificio in aliâ tabula, Dianam cum Virginum Choro ſpecus tegebat, tam ſcite effigiatam, ut ſpirans imago non Actæona ſolũ ſed quemvis contumacius ſpectantem ultura crederetur. Propè conſitæ arbores ſuſpenſos ve-

nanti-

nantium arcus, pharetras & prædam: Damas, Capreas, Attagines & Phasianos tenebant. Et hæc tantâ dexteritate expressa, ut dubitasses, utrum plus arti voluptatis an naturæ, si intercederet, acceptum ferendum.

CAP. XXXIII.

Laus Pictoriæ.

SAnè me Pictoriam nobilissimis accensere artibus, Græcorum & Latinorum exemplo non pigebit. Neq; enim circa hoc Universum duntaxat, circa decus & delicias ejusdem; circa naturam, naturæ officia & mortalium actus occupatur; Sed & Creatoris Majestatem & Miracula stupen-

ſtupendo artificio effingit, mirumq; in modum rerum effigie delectat. Ut divinis inprimis honoribus & immortalitati rerum Pictoriam inventam exiſtimem. Omne autem, quod Orbis ſpecioſum habet, doctæ manus ſolertia imitatur: Nam & amæniſſimi Regionum tractus aptâ adeò facie in linteis deſignantur, ut rem non effigiem videre reris. Quædam expreſſo colore propinqua: Purpureo alia cæruleove magis recedunt. Remotiſſima ad incumbentis penè aêris lucem accedunt. Hic frondoſa arbor, alibi rivus, mox villa aut oppidum, gratâ ſerie ſparguntur. Deinde Architectonicæ monumenta, tanta feli-

citate exprimuntur, ut exactiſſimas ſtructuras omni ſuo cultu ad regulam in tabulas migraſſe, mireris. Sic Porticus ſic pergulæ, ſic cænacula, pegmata, columnæ & ſubjectæ ædificijs areæ, cum ſuis fontium ſtatuis & labris pinguntur, ut nihil imago rerum veritati detrahat, nec proſpectus fallat. In Hiſtoriarum verò actuumve humanorũ effiguratione, tanta dignitas amænitasq; relucet, tamq; vivis res repræſentatur coloribus, ut quaſi denuò oculis ſubjecta ſit, & bellorum acies horreas, incendia, fugias, & pacis bona, Agriculturam, Vindemiam, mercatus Venatusque ames. Nunc diurna officia, mox nocturna

ſtudia

ſtudia exſignat: Caliginem Lunæ præmicantis fulgor, aut facis diſcutit, reddito rebus qua jubar ferit colore. Hinc Quadrupedum, avium, & florum pictura nobilis. Excellentiſſimæ autem omnium Icones, quibus humana facies, ad cæleſtis pulchritudinis concinnitatem figurata, tam ſcitè exprimitur, ut nec motus aut vita requiratur. Quo beneficio penè Mortalitatis victor Homo poſt funus ſuperſtes eſt. Sic longâ Majorum ſerie Baſilicas, Palatiaq; exornare præcipuis ſemper familijs in more fuit; Nõ tam ut faciei, quam & Virtutis cujusq; imago nepotum oculis oberraret. Quot operum vetuſtate dilapſorum memoria interijs-

ijsset, nisi picturæ vindicassent?
Nihil de antiquitatis Majestate
constaret, ac pene facta mortali-
liū inumbrata obsolevissent, ni-
si ars hæc Thermas, Theatra, sta-
tuas, Colossos, Urbes & ipsas Gen-
tes in Chartas contulisset. Ut non
immerito Raphaelis Sanctij Ur-
binatis pictoris, vel ut alij volunt
Michaelis Angeli tumulo inscri-
ptum sit: Illo sospite naturam
nec vinci nec mori potuisse. Cæ-
terum magna ingenij judicijq;
vis, dein doctrina Mathematica-
rumq; disciplinarum scientia re-
quiritur, qui in hac arte perfecti-
onis laudem ambit; Ut & condi-
tiones rerum, & proprietates ex-
primat, animos hominumq; af-
fectus indicet; Suo quæq; loco
dispen-

dispenset, debitaq; elegantiâ, gratiâ & artificio digerat, coloris lucis, umbræq; studiosissimus; Ut tabulæ luteive planicies exactissimas corporum formas dimensionesq;: Rotunda, quadra, concava & convexa effingant. Tam ampla scientia est, quæ Pictorem perficit. Hinc infinitum arti decus, ingentiq; precio Picturæ commendatæ, & una Apellis seu Protogenis tabula artificiosissimè picta, Rhodum obsidente Demetrio, ab interitu servasse & trecentis amplius talentis æstimata dicitur. Sic & maturè apud Romanos Pictoriæ honos obtigit, ipsiq; Proceres Urbis & Augusti olim operam eidem impendere. Fabio nobi-

lissimo

liſſimo homini laudi datum, quod pingeret, Cicero tradit. Et, dicente Plinio, clariſſimæ Fabiorum Genti â Pictoriâ cognomina obvenere, Princepsq; ejus cognominis ipſe Ædem ſalutis pinxit. Hadrianus Imperator picturæ peritiſſimus erat: Marcus Antoninus Philoſophus ſub Diogeneto eidem ſtuduit. Alexandro Severo egregia pingendi dexteritas tribuitur.

Nec noſtra Patrumq; memoriâ defuere Auguſti, aut impenſe hoc ſtudio delectati, aut ipſi Artifices exquiſiti. Et jam olim (tanta fuit artis dignitas) ſeverè edictum ſcimus: Ut Ingenui eam exercerent; Mox ut Honeſti; perpetuo interdicto ne ſervitia docerentur.

Post succedentium ætatum leges, â muneribus personalibus Pictores exemerunt; Ut otium esset artes discentibus, & ipsi peritiores fierent, filiosq; erudirent. Deinde & Privilegium datum, quo pergulas officinasq; in locis publicis sine pensione obtinuere. Sed hæc artis pretio, antiquitate Fautorumq; autoritate per se nota sunt.

CAP. XXXIV.

Februarij studia: Bacchanalia & Nundinæ rusticæ.

NOvissima Hyemis solatia Februarius promit, cum jam impendentem culturam, verna-

que

que ſtudia proſpiciunt Agreſtes, armamentis quibus ager eget, tempeſtive inſtructi. Sed tempore uſi quantum rei familiaris cura permittit, honeſtis otijs robur colligunt, ut alacriores renaſcentis naturæ ruſticationes obeant. Interea tamen præter occupationes, quas Villa requirit, negotia induſtrijs identidem ſe ingerunt, quibꝰ opera impendẽda: Nam vijs nive ſtratis paluſtribusq; ubi virgulta naſcuntur, frigore concretis, vel ligna in ædificiorum uſum, ſilente luna cedenda, ne caries lædat, vel ſepibꝰ ſudes & vimina congerenda. Nunc tempeſtate læſa ſtabula munienda, aut reficienda horrea: At plus ad ludicra ſpacij eſt,

ante-

antequam agrorum cultura revolvatur, quam cum ſuccedentes ſibi ingruunt labores. Ergo trahis quandoq; non ſine cultu vicos obire juvat, in circulos habenarum regimine equum vehiculumq; venuſtè ſinuare, vel baxeis ferratis glaciem perniciſſimo lapſu transmittere, non ſine ſpectatorum voluptate. Incidunt & Bacchanalia ſuerâ mortalium laſciviâ celebrata, â Gentilibus traducto more, quo jam priſcis ſeculis Libero Patri hæc inſania ſacrata. Tenet hanc, ex parte ſanioris ævi licentia, ad vana humano ingenio proclivi; Et totæ Urbes luxu, ludis & choreis perſtrepunt. Quæ res quantum decoris ſuſtineat, Autores viderint.

rint.

rint. Ruri nil ſimile occurrit. Palæſtra agreſtibus gratior, & equeſtribus præludijs ſparſa crena. His præmia proponuntur; Huc trahit victoria, ſpectatæ virtutis experimento redimenda. Non labor non pericula abſtrahunt virtutem, gloriâ ignaviam ulciſcente. Maſcula ſunt, quæ Villas oblectant & majora, quam quo inſolentes ambicio ſolicitat.

Adultiore Menſe, cum jam Martio decedere properat Februarius, apparatus propior vernorum laborum ſuccedit, nundinæ celebrantur imminentis ſationis causâ inſtitutæ. Omnis quippe generis grana legũ inaq; ſeminibus delecta venduntur.

Tum piſa, fabæ & lini ſemina proſtant. Uti & vaſa penoraque Villicis uſibus facta, quæ domi parare per familiam operoſum eſt: Sic alvei ſeu conchæ, calathi, caniſtra, cola, cumeræ, fideliæ & ſimilia fictilia venum exponuntur, quæ facili precio coemere licet; Ut & picis maſſas, Cretam, axungiam aliaq; unguina quibus Coriacea ſupellex, ne fatiſcat, ſubinde mitigatur. Sed oleum nundinis hiſce olim magna copia præſtinatum; Jejuniis, Patrum memoriâ ſolemnibus; Vnde & borealibus plagis nomen Mercatus ab oleo, mutuati fuere. Ita Agriculturæ commodata tempora ipſæq; urbes in gratiam ruris inducias negotijs con-

conſtituere, conventus foraque ordinavere, quæ Ruri neceſſaria miniſtrarent, ne quid ſoluta Zephyro tellure in orbem actos labores moraretur.

Admonebat me res pluribus perſequi quæ hanc vitam ornarent, ſi id inſtitutum ferret; Sed invidiosè excreſcere non debuit labor oblectationi non oſtentui quæſitus. Iis equidem quæ delectare viſa, calamum negare non ſuſtinui, minutis legentium animos differre, procul ſcriptionis ſimplicitate putavi; Et jam finita hyeme, avis veris nuncia in procinctu eſt, præſtatq; relicto ſtylo, ad ſtivam properare, coramq; frui delicijs quæ Rura pollicentur.

CAP. XXXV.

Repetitio Bonorum Ruris; Privilegia obiter adducta, & Votum pro Conclusione.

MAneat nunc Rus perpetua, tot bonis felix, & hæc vita seculis placeat, quibus pessima quæq; mortalium artibus intercessere. Nam & magis priscos mores & masculam virtutem tuetur, avariciæ nescia, honorum secura, cunctis quæ â justiciâ dissident, inimica. Non fænus intestinave latrocinia sectatur, aut adulationes amat; Continentiâ manuumq; labore dives est. Ager Cultorem alit & oblectat, nihil macello opus, Rus omnia indu-

duſtrio ſufficit. Et hic diſciplinæ tenor, non committit, ut ad otia juventus dilapſa, per ſocordiam inſoleſcat; Sed opibus, ſed amænitate culturæ invitata, omnes anni curas pari alacritate perſequatur. Nec ullibi plus tranquillitatis negotia comitatur; Dies in læticia tranſeunt, quia Deo hæc opera placent. Membra, diurno labore exercita, facilis ſomnus placet; Animus â fortuna non pendet, ſimplicitatis dulcedine liber, & innocentia in omnes caſus obfirmatus; Nihil deſideranti nihil deeſt: Frugalitas cupiditatem, Dei providentia deſperationem domat. Qua morū vitæq; integritate, in tantū erecti Agreſtes, ut potentiorū imjurijs minores maluerint patrocini accisâ liber

amplecti, quam municipijs, illâ incolumi, ſociari. Ut proprij olim homines, Adſcriptijq; glebæ quam plurimi agrorum amore ſint facti. Ex quo & intuitu innocentiæ legibus & ſanctionibus quoq; ruſticæ ſimplicitati impensè fautum comperimus; Ne oneri eſſent quorum ingenio culta juſticia adoleverat, quæ cuiq; præſidio eſt. Utili namq; ratione proſpectum Gratianus reſcribit: Ut innocens & quieta Ruſticitas peculiaris patrocinij beneficio Defenſoris locorum perfruatur. M. Aurelius Aurelianus memorandâ benignitate Anus memorandâ benignitate Agros Agricolasq; defendit. Alexander Pontifex Lateranenſi Concilio conſtituit: Cultores agro-

agrorum & boves aratores in tutela fideq; publica militum omnium dehinc perſtituros. His multa præter Juris communis regulas, agriculturæ causâ Imperatores ſancivere. Namq; ne in ruſtici operis aſſiduitate interpellarentur, quicquid ad agriculturam opus, ſeu perſona ſeu bos fuerit, vel inſtrumentum, pignori capere vetitum. Et ſi quis auſu temerario auferre præſumeret, in Quadruplum oblata reſtituit, & infamiæ notam ipſo jure incurrit, Imperiali animadverſione nihilo minus puniendus. Par ferme privilegium Normannis villicis Franciſci I. Conſtitutione datum, Choppinus recenſet: At Phrygum inſtituto,

qui Ruſticum inſtrumentum, agricultioni aptum ſuſtuliſſet, morte multabatur, referēte Stobæo. Qui rigor Saxonum propè jure perſeverat. Cæterum nec Thracium fæneratorum commentum Antichreſis, in prædio Agricolæ locum habet, Uſurarumq; modus ejus favore â Juſtiniano temperatus. Deinde ad extraordinaria onera nunquam trahendi Agricolæ, aut ad ullum aliud obſequium, cum congruam annonam præſtiterint, devocandi; Nec mularum fiſcalium aut equorum miniſterium ſubire cogendi. Providentiæ enim eſt, oportuno tempore neceſſitatibus illos mortalitatis ſationibus vel colligendis frugibus ſatis

facere. Ita B. Gregorius rescripsit: Ne rustici oneribus alijs præter agriculturam graventur. Deniq; professionis privilegio & â publicis oneribus personalibus; sæpè patrimonialibus, interdum & à tutelâ excusantur. Quæ Renatus Choppinus peculiari libro, quem de Privilegijs Rusticorum inscripsit, accuratius deducit.

Utinam decursâ tot casuum malorumq; periodo pax aurea tandem reflorescat, redeantquè secula, quibus attritus sulco vomer in pretio sit, & defuncta periculis mortalitas respiret. Ut agris honore reddito sub suæ ficus & Vitis umbraculis tuta

quivis habitet nemora, duraturæ pacis munera sancta gratitudine celebraturus. Ego verò, ceu hactenus tantum huic obnoxius voto vitam transigam: Ut carus Musis veraq; pietate ardens in Factore omnium acquiescam; Rura mihi placeant & cordata integritas, quæ mortalium potius studia agnoscat quam misceri ijs contendat.

FINIS.

VITÆ RUSTICÆ Encomium.

DN. ANTONII DE GUEVARA,

CANDIDE LECTOR.

INcideram forte, dum præcedens scriptum sub prælo erat, in sequentem Illustris Viri ANTONII DE GVEVARA. discursum &c. per Iacobum Singe Erphordiæ Anno 1594 Germanico Idiomate impressum, & quoniam argumento conveniebat, ut negocia & festinatio ferebant, coronidis loco, latinè jungendum censebam, quod brevibus plura comprehendat. quam pluribus alij dixere; Non ingrata, hoc seculo, futura ratus, quæ Regibus superiore placuissent. VALE.

VITÆ RUSTICÆ
Encomium
VIRI ILLVSTRIS
DN. ANTONII
DE GUEVARA,

Epiſcopi Accitani D. CAROLI V. IMP. Conſiliarij & Hiſtorici, &c.

PORTVGALLIÆ REGI Hiſpanicè inſcriptum.

CAP. I.

QUisquis Ruris amans fundos colit, qui vel hereditario jure vel emptitio obvenere, nec Syrenes audit ut, ambitioſa appetat, quo

quo Charybdes & Syrtes cautius vitet Homerico Ulysse prudentior est. Nempe propria possidens, liber est, nec ulli obnoxius magis quam quem Aulæ Urbesq; tenent, Ideoq; felicior, quam si omnibus Regum Palatijs carus, nationum orbisq́; peritus foret.

Non offensas metuit in suo, ijs quæ sors tribuit, quamquam modicis, contentus. Ex suo victitat curarum immunis. Certos habet fundi reditus, bonâ conscientiâ partos & quandocunq; eget, paratos. Non longo demum obsequio vel importunitate merita extorquet. Raro fortunæ splendor meliora tulit, appetita bona sæpè spem fefellere, pejoribus oblatis.

Nobi-

Nobilis aut Civis ex Agricultura vivens, integritate, honore & autoritate magis pollet, quam si, qua ditiores & sumptuosiores suspiciuntur, quos longa majorum series vel clientelæ, deliciæ aut Uxorum venustas prolixe elevat, viveret; Ubi parvi fieret potentiorum cultu præeminente. At in suo solus ipse dominus & Uxor ipsius sola Domina habetur, omnibus illic honoratus & acceptus. Quapropter bene Julius Cæsar se in villa primum, quam Romæ secundum esse, malle dictitabat.

Ruri pietatem magis decusq; tueri licet, cum alibi, dum studiorum & impensæ fructus sperantur, infamia & livor exerceat levi

vix

vix cultu aut opibus ſublatos. Hinc non pauci ſubito caſu præcipites eunt, cunctisq́; partis ambitu exuuntur; Quo & Amicos trahunt, quos ad munia negociaq́; evexerant viribus majora. Privatus ſorte ſuâ contentus, & quo egenos ſublevet habet. At qui ſublimia ambit æmulos invenit, ut invidia deniq; minorem conficiat. Scholas ſectari aut ſtudia publica, vel ex opificijs & bello vivere, deniq; medicinam profiteri longè ſecurius eſt.

Qui in fundis ſuis aut villis â Deo conceſſis agit, verâ pace fruitur. Neq; enim quisquam eò divertit: qui turbet & luxum quærat, aut abſentis familiam corrumpat. Omnis illic occaſio peccan-

candi ceſſat. Non voluptatum ſtudia, ſed rei familiaris, educatio liberalis & domeſtica diſciplina præcellit. Non inſanum illic mare patremfamilias agitat, ſed placidæ auræ quietum recreant. Semper commodè aditur, ipſe prudenter vitam, non pro vulgi arbitrio, diſponit, vivit mortis memor non ut perpetuo victurus. Non ut alibi hoſpitijs incommoditatem aut peregrinorum fraudes metuit, non mulis aut equis pro ſuppellectile eget. Et quæ alibi frequens moleſtia non præcipitem Judicẽ vel iniquam ſententiam formidat. Et quod præcipuum eſt, in fundo nec Impoſtores aut improbos, nec meretrices videt; quæ hominẽ in beſtiã transformant aut, promiſcuas

ſectantur

ſectantur libidines, Unde lites & cœdes ſæpè oriuntur.

Ruri degenti ad cuncta ſatis temporis ſuppetit, quæcunque expedienda ſe offerunt, dummodo ipſe horas bene digerat. Nihil Muſis, nihil Sacris, nihil familiarium obſtat colloquijs. Sin & Venatus voluptas remiſſum exſtimulet vel convictuum deſideria, nihil hæc ſolatia impedit. Secus, quos munia diſtinent, quorum omnis in obſequio vita eſt, vel ut carceri incluſi latitant. ſæpè peregre inviti ablegantur, optimum tempus negocijs tranſigunt, Imo ſuſpiciendo, honorando, ſupplicando & humiliando ſe, vel potius ſuſpirando. Ut oportunè in ipſos Auguſti Cæſa-

ris

ris in negocioſum nimis civem oratio quadret: Qui mirari ſe ajebat, cum negocijs defuerit, ut ad mortē illi ſuffecerit tempus.

Nobilis vel civis in fundo ſuo agens absq; dignitatis jactura ſolus obambulat. Dominus non ſtragulis non pulvinari eget, non famulo, nec pediſſequa Domina, Quemadmodum in aulis & municipijs ſimilia & clientum globos trahere coguntur, qui ludibria æſtimant.

Ruri quando lubet ſine offenſa ut dictum recreationis causâ exſpaciari, omnemq; pervagari viciniam licet & de villa in villam migrare, exiſtimatione illibata,

rever-

revertiq́; domum ſine impedimento, alienis negocijs non revocantibus. Non ſervit cuiquam, non ocreis & calcaribus inſtructus mandata vel & belli pugnæquè ſigna expectat.

Ruri Nobilis quivis & colonus quocunq; & quomodocunq; placet commeat, nulla re niſi penulâ & amiculo opus eſt, ſecuris, fiſcellæ, gladius, venabulum vel bombarda eunti ſufficit. Cum ſtrictiores calcei urunt, laxiores induit, ſi frigus offendit, pellibus ſubductas promit tunicas, facili cultu contentus: Nec minus ruri Nobilem viliſſima veſtis quã precioſiſſima alibi toga ſuperbum ornat.

Sive

Sive Nobilis ſit ſive Ignobilis, qui in fundis degit, non deſpectior habetur, aut infelicior, cum annuos Mercatus equâ vili adit, quam ſnmptuoſiſſimus alibi generoſiſſimo caballo vectus. Immo tenuior in fundis ſuis frugaliter vivens, melius agit Aſino hærens, quam opulentiſſimus ex precioſiſſimo jumento virum bonum deprædatus.

CAP. II.

RUra colenti nec optima frumenta nec bene coctus sapidusq́; panis desit, quæ in aulis urbibusq́; rariora. Nam corrupta illic passim farra, vel non bene molita, aut aquæ vitio laborantia pista, quæ morbos sæpe & mortem incolis peperere. Cæterum quod inprimis memorabile, Ruri & in Nobilium prædijs salubria magis exercitia, meliusquè uti tempore licet ac in aulis & urbibus; Multa illic simulatio, parcus sermo, oculi nequam, vafricies, vindictæ jugis molitio, incessus gravis, conjecti in ilia lacerti compositi numerosè pedes rarus in publicum accessus, splen-

ſplendida ſemper & tumida verba; crebræ illic calumniæ, diffamationes, exſecrationes; Ut ſurditas præ auditu ſæpè optãda ſit. Ambitio, animæ inimica herba, huic horto frequentiſſima.

Optimus Regum, pene Deus æſtimandus, qui ruri ex fundis ſuis vivit illicq́; moratur. Absq; namque periculo nudã tractare veritatem licet. Illic in factis libertas, adulatio nulla, quæ malos evehat, bonos ſugillet, & Polypi inſtar aut Prothei in omnes ſe formas induat, & tandem nihilominus omnium invidiam provocet, inprimis ſi ſermonum in taxando vitia liberior ſit. Ruri quotidie familiaribus ante do-

mum vel de feneſtra absq; exiſtimationis damno colloqui integrum eſt, interim de arcanis Magnatum conſilijs parum ſolicitis. Multa enim ſæpè ſparguntur, quæ plus tædij, quam oblectationis creant. Potius tranquillo in ſilentio utiles evolvit hiſtorias, vel ſacros & politicos libros, vel in Dei aſſurgit laudes, hymnum canens & piam cantiunculam. His ſuavius longe corpus & animam paſcit, quam ſi fabulas audiat aut Cytharædos, qui ad faſtidium usq; aures obtundunt. Parcitur & expenſis, quibus Calendis anni oberrantium clamores placantur, ut illi, de quo bibant habent.

Agreſtes ſaniores ſunt multò nec tot valetudinibus objacent, quam Aulici & Urbani. Hic namq; ædificia excelsa, anguſti vici & luto ſordidi, hinc aer torpens, tabe morbos ciet. At Ruri villæ longius diſſident, homines ſanitatis ſunt ſtudioſiores, aer ſalubrior, ſol clarior, Tellus minus exhalationibus noxia. Quicquid privatim aut publicè incidit, ſine lite dirimitur. Crebræ operæ nunc campo, agris, nunc pratis & hortis impenſæ, vel domi labor tenet. Hinc vigor & robur, ſecuritas ſumma, & præcipuè minus curarum oblectationis magis.

Hoc etiam privilegium agrestibus competit: Quod nec Juvenes Medici, nec veteres morbi ibidem inveniantur. Cum ex adverſo Aulicus, in quatuor bonis portiones diviſis, primam adulatoribus, ſecundam rabulis forenſibus, tertiam Pharmacopæis, quartam Medicis debeat. O quam felix præ his Rura colens Nobilis & Agricola, ubi nec de luee Venerea nec alijs hujusmodi morbis liquet. Quid cancer ſit etiam minus conſtat; nihil unquam de apoplexia auditum, podagra ibi nulli hereditaria; nemini hic unquam quid jolabium, Bolus, Syrupus aut Apozema ſit, conſtitit.

Ruri tot curis nemo & molestijs frangitur, unde ante fata mors properetur & corpus animaq́; pereat. Summatim ruri nec quid lateres aut calx esset, innotuisset, nisi ad mapalia his opus fuisset. Cum nihilominus tuguria lignea luto & stramentis munita boni consulant. Et quæ Ruri visuntur ædificia & suburbana magis splendent, quam quæ per aulas passim & urbes palatia surgunt.

Ruri in villis & pagis dies longior apparet, meliusq; quis uti luce quam alibi potest, ubi tacitis labuntur annis tempora, diesq́; diem trudit, ut nec satietatem nec voluptatem inde habeat. Et

quanquam propria tractantibus rura abunde deliciarum ſit præ Civitatibus, tamen & provectior dies ibidem quam Annus in aulis. Ex quo meritò Agricolæ felices habentur, quibus Sol longius diem extendit. Lubet mane ſummo aditer ſe accingere, Aurora nullibi citiꝰ emergit nec teneberæ euntem morantur. Protrahunt rediturum negocia, nox tam repente non præcipitat, ut ſub Heſperum reverti liceat, cum tamen in oppidis & alibi vix diei lapſus ſatis animadvertatur. Quæ ruri obſervata ad exactiorē tantò temporis rationem, pluraquenegocia impellunt.

Insignis & hæc prærogativa fundorum possessioribus, quod ligna, fœna, stramina, avena ruri vilioris præcij sint, quam in oppidis. Præterea cibus capitur, ubi, quando & cum quo libet, etsi non semper adeo delicatus, cum in oppidis & alijs locis tardè & intempestivè mensa instruatur. Dapes crudæ, & longa morâ insipidæ, Et tamen omnia ferè famelici præcipiunt; Et quod pessimum, cum invidis, inimicis & persecutoribus communicandum, ut in faucibus sæpè bolus hæreat etiam lautissimorum ferculorum. Hinc subitæ mortes vel præcox

ſenectus, hinc lenti morbi. At agreſtis Paterfamilias ad votum vivit: Tempeſtivè prandet, aut cœnat, idq́; ſine ſuſpicione fretus amicorum fideli conſortio; qui rari adeo alibi ut pro monſtro habeantur. Sed & ſolus pudicâ cum uxore, dulciſſimis liberis & piâ familiâ cibum capit, quæ optima dapium condimenta. Et quanquam non ſemper æquè opiparæ ſint, nullus interim DEI bonitate, fame perit. Ruri domi cuiq; ſuæ lacticinia & exiguæ lancis ſcitamenta ſapidiora ſunt, quã alibi cœna dapalis aut convivium ſaliare. Immò parvi facit ſi viliora eſculenta ſint aut pocu-lenta, nec nardus & flores aut a-

romata

romata precioſa victum commendent.

Sed & hoc privilegium Rura beat; quod ſemper habeant, ex quo uſus ſit & oblectatio, quæ civi vel aulico negantur; cui abunde inimicorum eſt, amicorum parum, quos amet, quos re & conſilio experiatur. O Cariſſime Regum, quanta voluptas agris, ubi piſcatus cum omnis generis Inſtrumentis, ubi Venatus & aucupia cum bombardis, canibus & retibus exercentur. Ubi ſumma cum oblectatione ſpectare licet, quis nemori, quis vinetis labor conveniat, ut cantu opus temperetur; Ubi campi, prata & horti coluntur, ubi joci cum ſenibus colonis delectant, ubi ſine impedimen-

dimento aliquis obambulat & cum defunctis loquitur, cum libros Doctorum itineris ſocios, ut Cato Cenſorius adſciſcit & ita laudes illorum recolit. Ubi cum pio & erudito ſuo Sacerdote vel familiaribus alijs amicè converſatur & colloquitur, alios autem vitat quos ſupina ſapientia inflat, quocunq; ambitioni religio obtentui eſt. Cuncta hæc privilegia Agreſtes habent, ab Aulicis & Urbanis fruſtra deſiderata.

CAP. III.

RUris incolæ nec tot laborum faſtidia nec moleſtiarum experiuntur, & cum dominicus dies

dies vel aliæ ſolennitates inci-
dunt, ſinceriori lætitiâ fruuntur,
quam qui aulas ſectantur; Ubi
tot intricatorum negociorum
moles vix profanorum & ſacro-
rum diſcrimen admittit. O quam
pium opus cum Ruri dies feſti
debitâ religione obſervantur,
cum Æditimus ſacris dat ſignum
campanâ, templum & altaria or-
nat, cum in Dei honorem culti-
orem quivis veſtitum promit.
Familia tum & jumenta quie-
ſcunt, religioſè templa adeunt
incolæ, divinos audiunt ſermo-
nes, ad ſacram ſynaxin accedunt,
& â prandio ab omnibus labori-
bus in vera pietate relaxantur.

At in municipijs non alia festivitatum indicia, quam cum virgines & fœminæ exquisitissimè comuntur, cum in multam lucem dormitur, cum contubernia & ambulationes frequentantur, Inprimis cum peregrini & vulgus citius quam aulici in templis visuntur, Qui ut & Urbani Domini, cum diem aliasq́; ferias luxu & ludis potissimum transigunt.

Sed & Ruricolis libera venatus facultas competit, quæ aulicis Civibusq́; sæpè negatur. Itaq; dum Aulicus graveolenti jam ferina palatum placat; Agrestis plagas, retia, arcum & bombardas expedit recentem prædam secta-

ſectaturus, dapibus gratiorem. Non familiâ opus quæ de foro omnia præſtinet, ſuo quoq́; lucro conſultura, pro temporis ſtatu Columbos ipſe turtures, perdices, turdos, palumbes, capos, lepores aliasq́; opimas habet volucres, non propriæ tantum, ſed aliorum quoq́; culinæ menſæq́; ſufficientes. Non deſunt illi oves veſtitui lanas ſuppeditaturæ, non verveces, non capreæ; Illic boves agriculturæ idone illic juvencæ & vaccæ lacte, butyro & caſeo villæ utiles; Plenæ porcis haræ, & alia ſuppetunt quibus rem augeat ſeq; ſuſtentet. Sed & equos alit, tam ad ruris labores, quam ut reditus inde acquirat.

At alibi avaricia regnat & insatiabilis cupiditas, quæ ex aliorum bonis opes congerit, rapitq; aliena, ut Harpiæ Phineo obsonia, vel spolijs omnino incubat.

In Pagis debita optimo cuiq; obtingit reverentia, vilesq; parvi fiunt. In aulis aliter: Nec enim ob dignitatem honor cuiquam tribuitur, sed ob divitias, non ob merita, sed æstimationem: Et tali plura subinde conferuntur, ut fluvij mare augent. At Agrestes eruditum, sapientem, consilio bonum non satis æstimare, ob fidem, candorem & officia non satis demereri aut remunerari se posse arbitrantur. Quicquid ager, quicquid

quid hortus profert, bena merito communicant, omnemq́; eidem favorem ut genuini amici declarant; Cum alibi indignis & paraſitis inprimis honos habeatur, Vir ſapiens, probus & propoſiti tenax negligitur, ceu ſterilis arbor, commillitonibus celerius evectis, plurimisq́; eorum nec merito paribus; Mali præmia boni pœnas ferunt.

Nobilis Paterfamilias & Agricola filios & filias magis in officio continet ne palantes infamiam reportent. Paria illic vicinorum conjugia, adeoq; geminata officia & gaudia, ſanguinis cognationisq; nexu conciliata.

ciliata. Non hæc aulico felicitas, qui liberos longè diſſitis elocat, magisq́; abſentium deſiderio maceratur, quam præſentia recreatur.

O fortunatos Agricolas, qui liberis juxta ſe uxores maritosq́; conquirunt, dum propinquis jungunt. Ita Generos, Nepotes & totam familiam ſumma cum voluptate in conſpectu habent; Qui majores ſuos amant, ſuſpiciunt & omni officio colunt Languentes ſublevant & fovent; quæ ſumma ſenectutis ſolatia. Non alienos talis heredes, non fiſcum, aut bonorum rranſlationes formidat.

Eſt & hoc Ruris privilegium: Quod incolæ tot importunis viſitatoribus non arctentur, nec tamen ſolitarij vivant. Quæ in aulis ſæpè urbibusq́; requiruntur; Ubi argento non raro leves, interim negocijs graves vivunt, ut nunquam ſecurè quieſcant, aut vigiles pace fruantur.

O felix Agricola in prædijs ſuis agens, qui nec horâ conſtitutâ curias obire, cogitur, ut conſilia emendicet munia aut beneficia Eccleſiaſtica nundinetur, inania verba perdat; Janitoribus, miniſtris & cauſarum Patronis ſupplicet, latinitatemq́; illorum rudis ipſe, cum dolore audiat, Deinde & Adulatoribus & Paraſitis blandiatur,

diatur, (quos frustra tamen sæpè adit) deniq; Magistratum extrema humilitate veneretur, vereaturq; ne â Cyclopibus & Lestrygonibus devoretur. Felix Agricola talium immunis, qui procul hac superstitione in fundis suis Rura, agros, prata, hortos, fontes & Rivos summa cum voluptate contemplatur; Ut Deus & natura sapientissimè omnia & mire operentur & nova subindè creent; Immensa Numinis bonitate erigitur, ovium & agnorum balatu, Boum mugitu & equorum himutu quotidie oblectantur; Dulcissima Luscinia & reliquarum avium chorus aures mulcet, catelli discurrunt,

Arie-

Arietes saliunt, hædi luctantur, Pavones variegatam caudam explicant, Gallinæ cugurriunt Galli crocitant. Multa illic mansueta & fera animalia occurrunt, colludunt, & lasciviunt, ex amnibus virentibus & gelidis fontibus bibunt, & per amœna pascua & nemora oberrant. Felix atq; iterum felix Agricola quem hæc indies oblectant, qui tranquillo in silentio debita cum gratitune hisce fruitur; Quanquam humi ille in stramine vel scamno decumbat, suavius dormit, quam qui sericum aut mollissimas plumas premunt.

De cœtero & alia prærogativâ Agrestes gaudent: Quod in vil-

lis majus virtuti ſtudium ſit, minorq́; maliciæ occaſio, quam in aulis & Emporijs ſplendidis, ubi latiſſima peccatis & ſceleribus feneſtra patet. Illic enim immenſa populi frequentia, ubi plurimi à bono abſterrent, & infiniti ad mala impellunt, præcipuè vero exemplo irritant, ut externa quis potius quibus induitur, æſtiment, quam interna, ut erga Deum & proximum inſtructus ſit examinet: Quos prudentiſſimus Seneca miſerrimos judicat, dum extrinſecus, ut parietes & Tabulas, ornatos dicit, ut vel ipſa Pallas, fallatur, tantum abeſt ſimplicior, quamvis dexterrimè inſtitutus.

Ruri

Ruri viventes ſeptimum etiam hebdomadæ diem colunt, & ſolemniſſimas quasq; feſtivitates inquirunt, templa frequentant, conciones audiunt, & animarum curam gerunt: Alios non curant ſeu probitatis hos ſeu maliciæ gloria ſtimulet, quibus actæ vitæ rationem committunt.

Porrò hoc etiam ex capite Ruris decus eminet: Quod tam crebra damni ibidem occaſio non occurrat, ut in aulis urbibusq́;, nullus altero ſit pluris; omnes ex agris, ex pecuaria victum quærant, nec ſplendida nimis dignitas latentium invidiam proritat. Illic nec Nummularij

ad fœ-

ad fœnora inſtigant peccatisq́; fœdant; Non popinæ illic & Oenopolia interdiu & nocte gurgites & helluones tenent, ut omnis ſæpè angulus vomitu ſordeat, tolerabilioraq́; ſuum ſint quam potorum hujusmodi contubernia. Ruri & in villis nullæ ſum ptuoſæ fæmiliæ pediſſe quarum gregibus ſtipatæ, nullæ illic lites, querelæ, cœdes non Paraſati non lupi cum quibus ululandũ, nulla res iras ſuccitat; nulla illic ſtadia & carceres, in quibus curritur, nulla athletica certamina aut pugilatoria cum periculo juncta. Nullus judiciorum pavor, & tamen liberè de injurijs conqueri licet. Et quod præcipuum

puum eſt, Ruri nullæ voluptates & illecebræ, unde impietatis Epicureiſmiq́; flagitia extimeſcenda. Nec ob culicum muſcarumq; copiam, ſi quæ ſit, Herculis auxilia imploranda. Tamen & alibi Crabrones pungunt, larvarumq́; frequentia omnem medentis curam laboremq́; reſpuit.

Præterea & hac prærogativa Ruricolis ſpecialis: Quod cenſum augere minoreq́; ſumptu, quam in aulis & oppidis rem familia rem curare liceat. Omnibus quippe notum quantæ in aulis impenſæ requirantur, quibus nullus modus, hoc inprimis tempore quo inveſtitu

veſtitu & victu tam immanis luxus in aulis & in Urbe incubit, ut acerrimâ Magiſtratus cenſurâ vel Dei etiam ipſius animadverſione opus eſſe videatur.

O quanta in agris pax & ſecuritas. Parvi illic aulæa fiunt Belgica & ſericum Batavicum; Non aureis & argenteis eget vaſis Paterfamilias; Non gemmis, non quæ ad iter & peregrinationes pertinent; Non acu pictis veſtibus, non carpento, aut longa & inutili, ultroq́; ſe ingerente familiâ opus habet. Parciſſimi quo ad hoc Ruri ſumptus, nec æmulatio ſtolidi aut prodigi cujusvis confert, ut in oculis ſit, cum divitiarum damno; Quæ dilapſæ paulatim inopiam trahunt.

In

In villis tenuis ſuppellex Patrifamilias ſufficit: Menſa ſimplex, uſitata ſedilia, non laqueata, quærit cubilia, ſtanneis utitur poculis & ſimilibus vaſis, vilibus ſtragulis, hybernâ & æſtivâ tunicâ, equo valido, famulo & famula; his contentus vivit. Et hujus ſuppellectilis, bonorum, & vitæ reſpectu Agricola tam Nobilis quam Plebejus, in conſcientiæ puritate, æquè felix, pariſq́; exiſtimationis eſt, quam ſplendidiſſimus Aulicus, quem divitiæ ingentes aurum & argentum, â Regibus, principibus & alijs expreſſa, commendant. Præ quibus Corvi cadaveribus infeſti tolerabiliores cenſendi, quam hi qui vivorum bona abſumunt. Perdat

dat Deus qui tot bonos Principes & terras perdunt, inq́; clades præcipitant. Cæterum & laudabile vel in ſenectute tranquilla ſectari: Turpe bovem cum cauda deglutire. Validi hoc ventriculi, Qui bene concoquat & in ſanguinem omnia vertat, quod rarò contingit. At hæc humana calamitas eſt: Ut quamvis nota ſit vitæ malicia, emendare tamen nemo valeat, vel qua ratione emendanda ſit ſciat. Faceſſat ambitio, humilitas ſuccedat.

Hæc felix mutatio pium
finem habi-
tura.

FINIS.

DECAS METRICA

EIUSDEM AUTORIS

Argumentis præcedentis Exercitij quibusdam respondens.

I.

Psalm. CIII. Benedic animæ.

Grates superant benefacta Jehovæ.

Imensis ditata bonis Anima usq́; Potentem
Concelebra, atq; imis quæ vis concepta medul-
lis
Emicat augustum Factoris nomen honoret;
Redde Deo grates Mea Mens nec tanta favoris
Indulta infamis tegat atrâ oblivio nube,
Ipse etenim sceleris labem premit, ipse dolores
Sanat, quos primi inflixit contagio morbi.(tur.
Quandocunq; vices, quando aspera Fata minan-

Inte-

Interitum vitæ properantis prorogat annos,
Et favor & trepidam recreat miseratio sortem.
Nec satis hoc: Vultum manifestâ luce serenat
Inq; Aquilæ morem novat actæ dona Juventæ.
Non patitur fraudes non impia facta Potentum
Justitiæ vindex; tollit ludibria pressis.
Principio Moysi confestim jussa Ministro
Cœlica commisit, natis sua facta Iacobi.
Larga Dei est Bonitas, larga indulgentia Patris
Est mitis, blandus quærit differre furorem,
Nec memor æternas alit implacabilis iras.
Non hominum meritis rigidus vaga crimina pœnis
Nec sævis infanda modis delicta coercet.
Latius excelso quam Terra abscedit Olympo
Cœlestis Bonitas, justos complexa, coruscat;
Longius infandi sceleris commissa removit
Sol oriens primum, Hesperiâ quam distat abysso.
Non tanta in dulcem est Patris indulgentia natum
Quanta fovet jugi Numen pietate colentes.
Novit enim vires hominum mortalia novit
Robora, quam fragili hæc coalescat pulvere massa.
Tota viri ætatis spolio permissa venustas
Herbæ instar, Tyrio aut ridentis Murice floris.
Quem

Quem Boreas, vel cum libavit fervidus Auster,
Marcet, nec lapsæ superant vestigia plantæ.
At favor & cunctis perstat Clementia seclis;
Justicia æternat seros rectura Nepotes
Pactorum memores, mandatorumq; tenaces.
Ipse excelsa sacræ nactus fastigia sedis
Imperio Totum exercet memorabilis Orbem.
Vos Genij æternas Domino depromite laudes,
Magnanimi Heroes Tanti parere Monarchæ
Assueti jussis, fremitu vox sancta secundo
Intonet, & quotquot cœlestia castra sequuti
Obsequio statis, plenus quæ continet Orbis
Immensi eximias Autoris pangite laudes.
Tu quoq; tam Sanctum Mea Mens Tu nomen adora.

II.

Psalmus CIV.

Summi est Majestas mira Parentis.

TOt Mens læta bonis sancti memorare Parentis
Facta stude & Tanti miracula condere Regis:
Magne Deus, Majestatis splendore supremæ
Conspicuus celebres agitas pulchro ordine pompas.

Fulgi-

Fulgidus æterni de Numinis igne coruscat
Vestitus clari superans incendia Solis.
Tu liquidum cæli complexum extendis in orbem,
Ebria ceu Syrio volitant aulæa veneno;
Tu superas curvâ effingis testudine lymphas
Et curru pernix celeri per roscida vectus
Nubila, ventorum rapidis innitere pinnis.
Angelicas teneris acies discursibus auris
Præfers illustri succingisq; igne ministros.
Stat vi Terra Tuâ solida libramine molis
Nixa, perennantis sæcli mansura diebus.
Quondam Terra nigro horrescens abscondita ponto
Ceu velo riguit, montes latuere sub undis:
Ut tua vox nymbos movit, tonitruq; tremendo
Flumina conspicuo jussit consistere rivo,
Emicuere jugo montes formosaq; campi
Æquora porrectos mox procubuere per agros;
Et jam clausa Thetis præfixo limite, fluctus
Jussa premit sociam metuens offendere Terram.
At riguas sudant scatebras, sinuataq; valles
Flumina per virides volvunt trepidantia montes,
Quo potum veniunt pecudes per prata vagantes
Florida, quoq; onagros vertit sitis improba fessos.

Gens pennata voci dulcedine læta virentes
Hic habitat frondes, linguis loca pulchra canoris
Concelebrans auras argutâ voce lacessit.
Tu Pater excelsos montes felicibus undis
Desuper humectas, ut pleno germine Tellus
Rideat immenso cœli saturata favore.
Hinc armenta boum carpunt sua pabula, vescum,
Hinc olus humanis progerminat usibus: & quæ
Flava Ceres passim cultis exuberat arvis.
Hinc liquor exhilarans mortalia corda Lycei
Hinc oleæ succus, vegetæ quo gratia frontis
Floreat, hinc lapsum revocantia liba vigorem,
Nec minus arboribus studium est: genitabilis humor
Te curante subit Libani per compita Cedros,
Quas seris & pulchrâ, Pater optime, fronde coronas
Passer ubi & dulces ponit Philomela penates,
Æra si qua Abies vincit, struit Ardea nides.
At celsi montes Damas, nemora alta tuentur
Veloces capreas, gaudetq; Cuniculus antris.
Tu regis errantis candentia sidera Lunæ
Temporibus metas; Sol jusso tempore cedit.
Hinc tenebras terris & cœca silentia noctis
Inducis tacitis qua læta animalia lustris
Procedunt, libycæ qua pignora sæva leanæ

Singultu prædas & anhelis faucibus escas
Te, Domine exposcunt; Roseo at cum Cynthius ore
Mane redit, fugiunt fossis latitantq; cavernis.
Tum solitas repetit curas mortalis, & agros
Exercet donec nox reddit amica quietem.
O Pater ô quanta est operum vis, quanta venustas,
Quamq; immensa regit res has Sapientia, Tellus
Qua patet infanda rerum bonitate gravescit.
Porro etiam Oceani moles spaciumq; patentis
Grande maris varios volvit sub gurgite fætus:
Innumeri hic passim pisces, unctæq; carinæ
Insanos sulcant fluctus; hic missa profundo
Lascivos agitant lusus immania cete.
Sic jussum Pater alme Tuum, sic omnia nutum
Nempe manent, justoq; expectant tempore victum,
Proficiunt, Te dante, bonis, opibusq; beantur
Te pandente manum, faciem velante fatiscunt,
Te tollente animam, in tenues collapsa favillas
Deficiunt, iterum spirante animata creantur,
Et renovata redit facies pulcherrima rerum.
O vigeat sine fine decus, divina perennet
Gloria & Autori placeant opera optima magno;
Cujus vel visu Tellus tremefacta dehiscit
Recluditq; chaos, tactu exardescere montes
Et rapidos jactare globos visuntur adusti.
Hic

Hic mihi carmen erit semper, modulisq; benignum
Concelebrabo Deum, mea dum calor ossa pererrat.
Saltem illi eloquium placeat, mea victima linguæ,
In quo deliciæ atq; uno mea sola voluptas.
Extorris gens prava solo, mala factio mundo
Exulet, & nunquam stirps cœlo invisa resurgat;
At mea Mens summum canat indefessa Parentem.

III.

Psalm. LXV. à V. 10. usq; ad finem.

Annum bonitas Divina coronat.

TU Pater exhilaras Tu vultu cuncta sereno
Erigis, immensi quæ continet area Mundi;
Non tam mane redit, Phœbus Tuus occupat ortum;
Non tam nocte fugit, favor occasum occupat idem.
Tu Pater in gremium Terræ descendis & imbre
Proluis, irriguam magnis proventibus implens.
Usq; Dei scatebræ saliunt, fons semper abundat,
Almæ telluris complexum Tu ubere fructu

Induis & campos Cerealis mergite culmi.
Atq; hæc culturæ ratio (ſapientior alter
Quo non) Agricolæ; Tu parturientis alumnæ
Sulcos perfundis ſitientes, jugera lymphis
Humectas, largis emollisq; imbribus agros,
Et fæcunda ſuis diteſcunt fructibus arva.
Ceu formoſa roſis Virgo caput abdit odoris,
Multiplicis ſerti; Sic verſicolore corona
Pulcher & eximijs excellens dotibus Annus
Stat bonitate Tuâ Pater: Hinc veſtigia ſtillant
Qua graderis vegeti nimium pinguedine ſucci;
Hinc Ager & Nemorum virides, loca pulchra, receſſus
Pingueſcunt, vitreis madeant ut gramina guttis;
Herboſi circum colles, lætiſſima Tempe
Exultant, ovibus ſunt Ruraq; plena capellis;
Alma ſeges cultis turget lætiſſima campis.
Ut canat & viridi propè flumina ſtratus in umbrâ
Agricola ingenuo jactet pia jubila plauſu.

IV.

Pſalm. CXXVII.

Pietas ditiſsima Virtus.

FElix ò nimium felix, quem læta timore
Cœleſti exercet Pietas, veſtigia legum
Qui premit, & Domini geſtit Mandata vereri,
Ille levi manuũ quærens alimenta labore

Quos

Quos benè cultus ager gignit, quos vinea fructus
Subsidio vitæ numerosa per horrea condet,
Reddet & innocua hæc crescentem cura beatum.
Quin dulcis domui felici germine conjux
Instar erit vitis, suavi quæ prodiga fætu
Spargit opes, nimium formosis turgida botris,
Mox soboles lætæ cingit dulcißima Mensæ
Circuitum, cultæ frondes imitata Minervæ.
Tanta Viro obvenient, cultus quem Numinis armat!
Constans ille favor sit sanctaq; dona sequantur,
Quæ Deus exhibeat felicis ab arce Sionis
Ut Solymæ videas juges florentis honoris;
Progeniem videas dulcem, longosq; nepotes,
Et pacem, Isacidas quæ complexura merentes,
Erigat, & vinci furiis ignara perennet.

V.

Domini indulgentia ditat.

CUrarum indocilis, resonans Philomela canoris
Gutturis arguti modulis, per frondea sylvæ
Compita læta volat circumplaudentibus alis,
Seu Vesper Cœlum seu pulchra Aurora serenet;
Unius studio summi secura Parentis.
Non serit aut duro Terram molitur aratro,
Non metit & fruges succisis congerit agris,

Aut

Aut prolixa penu largæ extruit horrea messis;
Nec tamen aut victus desit, vel damnat egestas
Fidentem, votis facilè aspirante Jehovâ,
Qui munus gerit hoc nutu, quiq; omnia pascit.
Omne opus, omnis res, labor & contentio vana est
Vix & Avaricies ingrata sordida quæstu
Coget opes, fœnus suave inter præmia ducet,
Si non una Dei juvet indulgentia curas.
Præsidia incertæ cumulat tutissima vitæ,
Quem spes fisa Deo concessa in munia vectum
Erigit & Pietas defectas nescia munit.

VI.

Devter. XI. à ℣. 13. usq; ad 16

Obsequij largissima merces

SI mea quæ sanxi prudens Mandata capesses
Et Magnum usq; Deum solido amplecteris amore
Obsequio addictus toto de corde Potentis:
Tunc Ego cœlesti perfundam nectare Terram,
Tempore maturo pluvias largitus amœnas.
Mane sub Auroram Tellus tepefacta madebit
Imbribus, egelidæ noctis stupefacta rigore.
Et cum Solstitio campus contabuit, Hesper
Udus agrum tinget foecundi aspergine roris.
Non tibi mane novo deerit non Vespere nymbus.

Ut multo exhilarent plausu sata læta laborem
Cum fructus cumulas: Seu culmi farre gravescent
Quos ager eduxit, seu prægnans vinea prælis
Subijciet fœtus, pleno & vindemia labro
Stabit, Palladia aut frangetur bacca trapetis.
Ipse tuo pecori dabo gramina, plurima campis
Herba virens, cythisus, suavissima pabula surgent.
Ne quid destituat victum, sed copia mensas
Instruat, atq; epulas non defectura recondat.

VII.

Syracides cap. XXIX. ℣.28.

Vivitur parvo benè.

SUfficit instanti, ferè opum quã vana cupido
Sollicitat, vitæ justo data tempore panis
Portio, & irriguo poti de fonte liquores;
Hinc vestes, teneris velamina debita membris
Moxq; ubi mortalis sit tutus ab imbribus, ædes.
Præstat enim tenuis frugali condita farre
Mensa sub exigui malè compacto assere tecti,
Quam centum ambiguæ structissima fercula cœnæ
Quæ domus, extorri hospitium, peregrina ministrat.

VIII.

Syracides cap. L. ℣. 24.

Bonitas infanda Jehovæ.

ERgo Deo memores meritarum encomia laudum
Fundite, & augustas Domino depromite grates.
Infanda pollens qui Majestate stupenda
Facta aperit, qua se Tellus qua dividit Æther.
Qui cœno fragiles massas tenuesque figuras
Sustentat, teneri quamprimum Matris ab alvo
Egressi effusas nudamur lucis in auras,
Nonque fatigatis didit sua munera palmis.
Ille animum Is placido marcentia pectora vultu
Erigat, Is pacis tribuat, victura perennis
Gaudia, & æternæ bona non cessura Quietis.
Denique sic nostros Domini clementia cœtus
Ambiat, ut nullis, superat dum, obnoxia damnis
Vita sit, aut sortis crudeles sentiat ictus.

IX.

Ex I. Reg. lib. cap. IV.

Pax Optima Rerum.

DA Pater ut Marte exacto & feralibus ausis
Aurea pax redeat, redeant felicia Regis
Secu-

Secula Judæi vicinis muscula sceptris
Quem juvenem teneris sapientia prætulit an-
Ut dubio rerum tandem defuncta tumultu(nis.
Ut tot post clades, post funera cruda Virorum,
Gens læta exultet, viridisq; umbracula ficus
Pulchra per obscuros habitet secura recessus,
Propter aquæ rivũ ut gravidæ sub fornice vitis
Extollat sancta cœlestia munera pacis,

X.

Syracides cap. XIV. ℣. 18.

Mors omnia solvit.

EGregio artificis ceu vestis texta labore
In tenues sensim floccos attrita fatiscit.
Sic perit omnis item caro sic dilabitur ævo.
Illa etenim antiqui fixa est sententia pacti
Ut mortalis homo perituræ portio summæ
Immoti subeat decreta novissima Fati.
Ac veluti virides formosâ ex arbore frondes:
Quædam solvuntur Boreâ aut putredine, quædã
Sponte renascentes diffuso germine rident.
Sic Homines: Quidam mortis carpuntur ab ungue
Quidam vitales iterum nascuntur in auras.
Quicquid in hoc fragili complexu volvitur Orbis
Nempe perit, metuuntq; suũ mortalia finem,
Tractantemq; rapit properans mortalia finis.

Errata ſequenti modo corrigantur.

Pagina 33. linea. 2. omiſſum : Nec bello. p. 70. l. 9. omiß. ficuum & id genus frugi ferarum ſeq. arborum. p. 74. l. 13. leg. eidarim. p. 100. l. 4. leg. vernum. p. 102. l. 3. leg. periclitatam. p. 110. l. 17. leg. Ac. p. 122. l. 13. leg paſcuis. Ibid. l. ult. leg. ciſternis. p. 137. l. 7. leg. Subſtiterat. p. 167. l. 11. leg. ut. p. 178. l. 16. leg. diſpoſito. p. 184. l. 7. leg. peritißimi. p. 191 l 9. leg. ſcirpi. Ibid. l. 13. leg. lembo. p. 202. l. 9. leg. Habebat, & ſeq. duodena milli.. Sextertia capiebat. quod omiß. Ibid. l. 15. leg. Q. pro quam. p. 206. l. 12. omiß. hoc p. 208. l. 14. poſt vocem. Nobilitate, inſer. hoſpitalitas. p. 221. l. penult. & ult leg. luminis admittendum. p. 225. l. ult. leg. aquæ. p. 226. l. 11. leg. tectorio. p. 235. l. 14. leg. caro. p. 266. l. 14. leg. temporaneorum fugacitate. p. 268. l. 16. poſt vocem. Magnum. omiß. Nunciatur nato Salvatore. poſt iter. ſeq. Magnum p. 271. l. 6. leg. vagit. p. 277 l. 9. leg. obeuntem. p. 294 l. 4. inſer. nullis periculis tadiiſq. obnoxia. ſeq. qualia.

Cætera, ubi literæ pro literis tantùm aut diphtongus pro diphtongo obrepſere ; Vt & ubi jungenda ſeparantur, aut contra, &c. Benevolus Lector propria dixteritate facile reſtituet.

FINIS.

nodo cor-

; Nec bello, p. 70.
frugi ferarum seq.
tim. p. 100. l. 4. leg.
tatam. p. 110. l. 17.
. Ibid. l. ult. leg. ci-
at. p. 167. l. 11. leg.
184. l. 7. leg. per-
id. l. 13. leg. lembo.
q. duodena milli-
Ibid. l. 16. leg. Q.
hoc p. 208. l. 14.
pitalitas. p. 221. l.
nittendum. p. 225.
ectorio. p. 235. l. 4.
poraneorum fuga-
. Magnum, omiss.
iter. seq. Magnum
9. leg. obeuntem. p.
tadiiq; obnoxia.

literis tantùm aut
psere; Vt & ubi
ra, &c. Benevolus
cile restituet.

S.